

[223]

Fastorum Liber Decimus

- Iam Redit ad numeros, recipitque ex ordine nomen
 Mensis, et Octobris, quod fuit ante, manet.
 Istius quondam primordia tristia nobis
 Et legitur Fastis plurima nigra dies.
- 5 Tunc iterum Mundus patet illaetabilis Orci,
 Et Lemurum sedes, Persephonesque solum.
 Huc animae, quas dira fames, pestisve, sitisve,
 Aut belli rabies sustulit ante diem:
 Si nondum retegit miseranda cadavera tellus,
- 10 Iam licet! ad Manes currите, aperta via est!¹
 Vicimus, et vobis durum placavimus Orcum,
 Devotis precibus, sanguineisque sacrīs.
 Errorem annorum centum, poenasque remittit,
 Gaudiaque Elysii donat habere loci.
- 15 Plus satis umbrarum Romani nominis² Orce,
 Sub ditione tenes, imperiisque tuis.
 Quot spicae sub falce cadunt, tot messuit olim
 Gallus, et in refugis advena Parthus equis,
 Poenorūque Duces sed plus civilibus armis
- 20 Misimus, implacidas Orce reconde domos!³
 Hoc dicto, extincti ignes, nigrisque favillis
 Mixta Suburrano taeda revulsa rogo.
- [224] Tum superingesta Mundus tellure reclusus,
 Obrutaque infernis ara sacrata Diis.
- 25 At tu, quem Octobris tangit custodia Mensis
 Mars pater, a nostra contrahe caede manum.
 Iste tuus Mensis sit solis hostibus ater,
 His pateant nigri regna inamoena Dei.

¹ corr. pro ?² corr. ex erratis pro nomine³ corr. pro ?

Fastorum Liber Decimus

Audiit haec Mavors, fallunt te tempora dixit,
30 Anni narrator Naso Poeta tui.
Si bene vestiges cunctorum gesta dierum,
 Inter felices hic quoque mensis erit.
Mille triumphati populi, quos inter Iapis,
 Inque suis Corsus, non bene tutus aquis.
35 Sardus, et Hispanus, Siculoque in litore Poenus,
 Sassinas, Siculus, Samnis, et Afer atrox.
Parthini, Allobroges, Galli: quid plura? triumphos
 Tot numeras, luces quot fere mensis habet.
Sed vos Romani, gens fastu elata, Deorum
40 Munera, vel latam vix meministis opem.
Quod Fortuna dedit, dedimus quae munera vobis,
 Virtuti hoc vestrae, consiliisque datis.
Scilicet et luxus, quodque omnia perdidit aurum,
 Ingratos vobis nunc facit esse Deos.
45 Gratia Caesaribus, nostro qui nectare vivunt,
 Contemptus vestri poena suprema foret.
Sed veniet vindicta tamen, divulsaque tota
 In partes, vario Roma sub hoste ruet.
Et nos hinc alio semotos ibimus Indos,
50 Qui nos syncera relligione colent.
Dixit, et evasit, Luctus, Clamorque sequuntur,
 Et Furor, et tenebris Mors adoperta caput.
Infremui, gelidumque oculos conversus in Axem,
 Frigidior gelido protinus Axe fui.
55 Quarta dies Octobris erat, consurgere sensim
 Tethyos e fluctu visa Corona mihi est.
Engonasinque inter, fixumque ad plastra Bootem,
 Emicuit gemmis nobilitata novem.
[225] Quae cum fulgerent labyrinthi in nocte profunda,
60 Ad superos rediit Theseus, atque diem.
Et nunc sydereus coelestem versus ad Aram,
 Pro tanto grates munere laetus agit.

Fastorum Liber Decimus

- Thesea, Minoëmque inter lis dicitur orta,
 Illene Neptuni filius, iste Iovis.
- 65 Seminis esse sui Minoëm Iupiter alto
 Incumbens coelo fulminis igne probat.
Theseus e scopulo praeceps se mittit in undas,
 Pondere collisae dissiluistis aquae.
Annulus in fundo suberat, quem quaerere iussus,
70 Aequorei iuvenis tecta parentis adit.
In solio Neptunus erat, conchylia circum
 Laevia, nativis vermiculata notis.
Inter quae vivi suberat genus omne coralli,
 Purpuraque in concha sanguinolenta sua.
- 75 Testae pinnarum, et durae testudinis ossa,
 Tectaque ab attritu facta polita maris.
Candebat viridi circumdata bacca smaragdo,
 Sapphyrusque suo glaucus in igne nitens:
Supra currus erat vitreo suspensus ab arcu,
80 Ex adamate rotae, temoque, et axis erant.
Hoc bis quoque die Neptunus litora lustrat,
 Et surgens fluctus pellit utraque rota.
Accedit, ceditque, et qua fert impetus illum,
 In Cybeles mittit regna parentis equos.
- 85 Ante pedes spolia Oceani, Mundique ruinae,
 Naufraga ab infido gaza coacta freto.
A dextra, Triton, Protheus, veloxque Palaemon,
 Et Glaucus, Phorcyn, caeruleique Dii.
Tethyos a laeva proles, Thetidisque marinae,
90 Et Nerei soboles, Oceanique patris.
Quas inter Venus orta mari, de sanguine nata,
 In nigris stabat conspicienda comis.
Gemmeus has rutili cohibebat circulus auri
 Phosphorus in gemino lumine et Hesper erant.
- 95 [226] Flumina tunc dominum nimiis exhausta tributis,
 Orabant, populis parceret ipse suis.

Fastorum Liber Decimus

- Audiit hoc rector pelagi, simul annuit, urna
Semina perpetuae clausa tenebat aquae,
Hanc sumpsit, versansque manu, de rore marino
100 Serta repurgatis florea mersit aquis,
Fluminaque aspersit: maduerunt fonte perenni
 Flumina, divinis exhilarata bonis.
Serpebant sensim, donec per concava terrae,
 In cunis essent quaeque recepta suis.
105 Tempore tunc illo, fundo se Theseus imo
 Reddiderat, patrios ut stetit ante pedes:
Sic ait, O vasti cecidit cui tertia Mundi
 Pars pater, et reflui stagna profunda maris.
Hoc si nomen amas, si sum tua certa propago,
110 Pignora da, natus credar ut esse tuus!⁴
Dixerat: huic moto cum maiestate tridente,
 Neptunus contra talia verba dedit.
Ne dubita, meus es, quod homo sub caerula vivis,
 Te satis hoc nostri sanguinis esse probat.
115 Quodque magis credas, ne tu meus esse negeris,
 Annulus hic nostri testis amoris erit.
Minoi reddes, pater haec tibi dona remittit,
 Dices, in digitis ista fuere tuis.
Dixit, et amplexus nato dedit, oscula iunxit,
120 Et glabras texit crine fluente genas.
Ibat ab amplexu patris, cum forma, vigorque
 Corporis, aequoreas ussit amore Deas.
Illum omnes cupiunt, illum admirantur, et audent
 Humida purpureis oscula ferre labris.
125 Haec capiti infundit Syrios de vase liquores,
 Imum coelesti spirat odore salum.
Innectit collo fluitantes illa cathenas,
 Floribus e variis facta cathena fuit.

⁴ corr. pro ?

Fastorum Liber Decimus

- Cum Venus agnatum, tracta de fronte corona,
130 Donavit, flavis composuitque comis.
[227] Addidit et clavam pater aequoris, ille trabalem
 Sustulit, in saevas clava parata feras.
Talis ab incussa pelagi surrexit arena,
 Theseus, et summas corpore pressit aquas.
135 In rugas abierte undae, fit multus in illis
 Circulus, impulsu nascitur alga mari.
Qualis in urceolo lactis tremor impete crebro
 Cogitur in spumas, in butyrumque coit.
Interea iuvenis laetus dum brachia iactat,
140 Quaeque videt nando litora curva petit.
Dirruptae motu collo cecidere cathenae,
 Serta mari, et ventis, florea ludus erant.
Hic iunctus violis Hyacinthus fluctuat, illic
 Candida nant rubris lilia iuncta rosis.
145 Pendulus ingrata moeret Narcissus in unda,
 Quique olim Venerem torsit Adonis erat.
Arrident fluctus, interstrepit aura cachinnis,
 Dum telluris opes ventus et unda ferunt.
Ille autem dives spoliis, et honore paterno,
150 Emicat in litus, saxaque nuda subit.
Gratatur Minos reduci, stupet obvia turba,
 Victoremque maris clamat adesse virum.
Et quaerit salsis quid agat Neptunus in undis,
 Quid Nereus, Triton, caeruleique Dii.
155 Ille nihil, nisi signa sui manifesta parentis,
 Minois gemmam monstrat, et arma data.
Subrisit Minos, sique ô tua gloria tanta est!⁵
 Hostis, quem vincas, hic tibi propter erit!⁶
Huic tauri facies, hominis sunt cetera membra,

⁵ corr. pro ?

⁶ corr. pro ?

Fastorum Liber Decimus

- 160 Liber ab occiso Theseus hostis eris.
Carcer eras labyrintho, nova te Daedalus arte
fecerat, ambiguas contuleratque vias.
Ut clausus caeco est heros Neptunius antro,
Quo penetrant nunquam Phoebus, et alma dies.
- 165 Ter tribus eluxit flammata corona pyropis,
Altaque nox taedis est resoluta novem.
[228] Ossa hominum, truncasque manus, et pectora, et ora,
Vidit ab informi membra revulsa fera.
Vidit, et horrendi monstri sordentia tabo
170 Ora gravi, cuius spiritus ignis erat.
Vidit et immanes rictus, dentesque cruentos,
Cornuaque⁷ ad pugnam surgere iussa novam.
Nunc opus esse sibi manibus, clavaque paterna
Sensit, et ingenii dexteritate sui.
- 175 Signa prior taurus movet, atque infertur in hostem
Fervidus, et dura praelia fronte gerit.
Hinc obversus, et hinc cervicem intorquet, et ira
Spumeus, in Thesei vulnera totus hiat.
Ille autem virtute sua, fretusque iuventa
180 Substitit, et clavam sumpsit utraque manu.
Semiviri cecidit clava inter cornua monstri,
Sternitur, in patrio procubuitque solo.
Victor ab hinc Theseus, curvato poplite patrem
Orat, ut e caeco carcere sospes eat.
- 185 Audiit, et sospes longo post tempore Theseus
Sydereas petiit patre favente domos.
Hic qualis fuerat faceret cum vota parenti
Claviger, et flexo cernitur esse genu.
Engonasin⁸ Graeci dicunt, Tyrinthius illi
- 190 Stat comes, ingenti cinctus ab angue latus.

⁷ corr. ex erratis pro cornnaque

⁸ corr. ex erratis pro Engonasim

Fastorum Liber Decimus

Totaque tunc Navis, qua Graeci Colchida terram,
Et Phryxi lanas obtinuere, micat.
Quot fuerant remi, tot erant Heroës in illis,
Causa viae, et voti vellus ovile fuit,
195 Scilicet ex auro! tanti male quaeritur aurum,
Hoc magni pretium vile laboris erat.
Illi lentandae Syrtes, vitanda Carybdis,
Syrenum cantus, Scyllaque tota canis.
Harpyaeque manus, et concurrentia saxa,
200 Praedonesque maris, Stymphalidumque domus.
Caedendi aeripedes tauri, caedendus et anguis,
Et cum terrigenis arma movenda viris.
[229] Hoc factum est, vellusque sacra de fronde revulsum
Tollitur ad patrios praeda ferenda Deos.
205 Sed perpessorum pars est levis ista laborum,
Mars pater admissi criminis ultor adest.
Lanosum Marti Phryxus sacraverat aurum,
A Minyis raptum non tulit ille Deus.
Hoc quisquis tetigit, meritas pro crimine poenas
210 Pertulit, et misera venit ad ima nece.
Lumine privatus dextra Polypheus Ulyssis,
Torridus irati corruit igne Iovis.
Qui potuit Manes Orpheus mollire canendo
Integer, ad Manes dilaceratus iit.
215 Eurytus eliso iacet a cratero cerebro,
Oblitus flammae Hippodamia tuas.
Huic comes adiunctus Caeneus, Elateia proles,
Foemina, sed tunc cum vir moreretur erat.
Corpus huic nullo fuerat penetrabile ferro,
220 Pondere contrito defuit aura viro.
Qui fuit Ethalides, vivit delphinus in undis,
Herculis Eurytion concidit ipse manu.
Concidit eiusdem Calais zethesque sagitta,
Tum primum siccus desiit esse pater.

Fastorum Liber Decimus

- 225 Praecipitem sese Thebana misit ab urbe
Actorides, maduit terra cruore viri.
Iphitus simili casu, sed morte coacta
Occidit, Herculea iactus in arva manu.
Exilium Aeacidae longum et crudele tulerunt,
230 Nauplius aequorea est contumulatus aqua.
Idmon fulmineo periit percussus ab apro,
Ancaeusque ferox, Eupalamusque ferox.
Pollucis Lynceus, Lyncaeо Castor ab ense,
Et cecidit torti fulminis Ida rogo.
235 Zethus et Amphion telo stridente Dianaе
Confixi, Eurybates fuste peremptus obit.
Arsit fatali raptus Meleagrus ab igne,
Fossus ab hostili Theseus ense fuit.
[230] Pirithous triplicis fauces custodis Averni
240 Implevit, Stygio victima grata cani.
Aspera ab Herculeo proles Paeantia telo
Passa fuit, saeva morte timenda magis.
At qui tollendae pellis fuit author Iason,
Quae mala sunt cunctis perpetienda, tulit.
245 Medeam vidit, fratrem, natosque, cruenta
In varias partes dissecuisse manu.
Cuius ab arte Creon, cuius nova nupta corona
Usta est, cumque illis regia tota domus.
Denique, cum sub puppe sua dormiret Iason,
250 Devotum rupit tota soluta caput.
Hinc quoque lassa viae rimas agit aethere in alto
Vixque decem clavis fulget utrumque latus.
Et nautis infida manet, redditumque cupidam
Denegat in patriam, dum ruit ipsa polo.
255 Hos brevia expectant, et decantata Carybdis,
Cumque suis canibus vortice Scylla latrans.
Fulget adhuc puppis flagrantibus oblita succis,
Et malus prona dum mare corbe petit.

Fastorum Liber Decimus

- Naturam servant ignes ad sydera missi,
260 Oceanumque premunt, Oceanumque cremant.
In mediis vivunt undis, terrisque saloque
 Ingentes clades, naufragiumque cient.
Quin etiam immittunt dirae contagia pestis,
 Tabificosque aestus, et furiale malum.
265 Praesertim, si nascenti se cuspide curvet
 Scorpius, inque ferae Thracius igne micet
Et ferruginea Saturnus falce minetur,
 Aequior haud nobis quam fuit ante patri.
Ah quoties nostras sorpserunt aequora classes,
270 Tantum fecerunt impia Signa malum!
Ah quoties tumidus summam pervenit ad urbem,
 Tybris, et innumerar obruit unda domos!
Ah quoties variis urbs deformata ruinis,
 Cum tectis totas sustulit ignis opes!
275 [231] Ah quoties per dira citi contagia morbi,
 Et sine Dis patriis, ac sine cive fuit!
Quin etiam saevo turbatae sydere mentes⁹
 Foemineae, iratis facta venena Diis,
Hoc reperit quondam funestum pharmacon Aetae¹⁰
280 Filia, larga cui dos fuit omne scelus.
De Tanais ripa surgentem sumpserat irim,
 Et naphtam, tacito quae vorat igne iecur.
Miscueratque herbas, quas gignit Thessala tellus,
 Et quas lethiferas effera Colchos habet.
285 Hoc pellex arsit, Patres arsere veneno,
 Multaque Romulidum turba perempta fuit.
Semine ab aethereo stellis lethalibus ortus
 Hic furor, ad nostras se tulit usque domos.
Tunc October erat mensis, cum Scorpius exit

⁹ corr. ex erratis pro mentis

¹⁰ i.e Oetae

Fastorum Liber Decimus

- 290 Turgidus, et Ponto Navis hiulca cadit.
Toxica miscebant matres, plebemque, patresque.
 Toxica Medeae tetra dedere neci.
Ivit in authores rabies, sua pharmaca matres
 Hauserunt, matres abstulit atra dies.
295 Consulti vates, est et consultus aruspex,
 Quique salutiferam scit dare Phoebus opem.
Fixit ob id clavum Dictator in aede Tonantis,
 Sacraque per luces continuata novem.
Urbs quoque lustrata est, adapertaque templa, Deorum
300 Purpureis statuae discubuere thoris:
Additaque auratis sunt pulvinaria stratis,
 Quae tunc patritiae composuere manus.
Terque novem priscum carmen cecinere puellae,
 Et magna est magnis victima caesa Diis.
305 Taurus Neptuno, ventos atque aequore mulcet,
 Et tumidas rapidi continet amnis aquas.
Taurus Vulcano, flammas compescit ovantes
 Hic Deus, et nostros eripit igne Lares.
Taurus Iunoni, funestas temperat auras
310 Aëris, et laetos dat Dea laeta dies.
[232] Taurus Latoidi, medicas hic invenit artes,
 Et morbis mentes, aegraque corda levat.
Quid tandem? raro placata est ira Deorum,
 Si medicina fuit, non nisi lenta fuit.
315 Promptius inventum est demum¹¹ medicamen, in omne
 Antidotum praesens, atque salubre malum.
Forte sui Martis Flamen curvatus ad aram,
 Fuderat in calidos vina vetusta focos:
Orabatque Deum clades averteret urbe,
320 Plus satis exhaustas civibus esse domos.
Adde novum vinum, dixit Deus, addidit, illo

¹¹ corr. pro demùn

Fastorum Liber Decimus

- Miscuit in veteri dulcia vina mero.
Atque ait, hoc nostris morbis medicamen adesto,
 Cladibus et nostris hoc medicamen eat.
- 325 Quinta Idus sit festa Deae, quae publica curat
 Vulnera, quae socium cum Iove numen habet.
Hic iuvat, illa adfert certam Meditrina salutem.
 Huic nomen morbis quod medeatur erit.
Divinum quisquis gustaverit ore liquorem,
330 Se morbis vacuum sentiet atque metu.
Si mare, vel Tybris turbatas auxerit undas,
 Mitescet fuso protinus unda mero.
Vulcanus per tecta furens incendia portet,
 Vanescet misso flamma remissa mero.
- 335 Iupiter in parte est, iuvat hic, atque omnia servat,
 Liberat, et certa cum placet auget ope.
Auget et Augustus, cui sacrum nomen ab auctu,
 Cui tunc ventosis Circus anhelat equis.
Quem solum scenae, quem tota theatra loquuntur,
340 Celsaque Corycio pulpita tinteta croco.
Pabula qui rapuit flammis, iussitque per urbem
 Perpetuos fontes ire perennis aquae.
Ille idem eversisque casis, ustisque tabernis,
 Substituit factas marmore et aere domos.
- 345 Rudera detraxit Tyberi, ripisque remotis
 Spumosas late currere iussit aquas.
[233] Tybri, licet! tumidas securis civibus undas
 Pelle, potes campo liberiore frui.
Est tibi quod placeas, alieno munere dives
350 Cras eris, hortorum praeda futura tua est.
Quotquot odoratas Autumnus procreat herbas,
 Et quotquot flores Itala terra creat.
Tot dabimus rivis, Nymphisque colentibus undas,
 Et tot fontanis serta feremus aquis.
355 Tot tibi devolvent, ubi se cum murmure leni

Fastorum Liber Decimus

- In patrias sedes per tua regna ferent.
Herculis hinc rivus, tum lubricus influet Almo,
 Iuturnaeque sacro quae venit unda lacu.
Inde Camaenarum fontes, fontesque Capenae,
360 Claraque ab Esquilio quae fluit unda iugo.
Et leviter crepitans Virgo iactata per urbem,
 In tua floriferam flumina condet aquam.
At vobis vitrei fontes, rivique, corollas
 Ponemus, liquidis apta corolla Diis.
365 Seu vos marmorea seminudos figat in urna
 Somnus, et aeterna lumina nocte tegat.
Seu Nymphae stantes fundatis ab ubere flumen,
 Duraque Virgineo labra liquore fluant.
Admixtum lacti mulsum mittemus in ignes,
370 Dulciaque in cereis condita mella favis.
Aut aliquis cultor vobis erexerit aras,
 Aut consecrato tuta sacella loco.
Parva puellares devincunt munera mentes,
 Non amat effuso Nympha cruento coli.
375 At Mars sanguineus caedes amat, Idibus istis.
 Occidit huic, palmam qui tulit acer equus.
Quisquis equus celer es, campum fuge Martis apertum,
 Illo, si vincis, victima prima cades!
Praecipue, fuge ne dextro temone feraris,
380 Hunc sibi mactari Mars cupit ultor equum.
Scilicet hoc cecidit Romani sanguinis author
 Graecorum infando diruta Troia dolo.
[234] Hic fuit in medium raptus Tritonidos arcem,
 Te lacerum capiet Regia parva Numae.
385 Utque inter Troas quis equum deduceret urbis
 In vicos, pugnae proxima rixa fuit.
Te populus Sacraeque viae, populusque Suburrae,
 Distrahet, hic caudam poscet, at ille caput.
Mox vellet, fluidumque caput, caudamque cruentam,

Fastorum Liber Decimus

- 390 In Regis velox Atria prisca feret.
Utque recens sanguis sacros stillarit in ignes,
 Guttaque Romanas tinxerit atra vias:
Praeda Suburranis quae cessit, turre Mamilli
 Figetur, Marti praeda resecta Deo.
- 395 Partem aliam veteris servabunt atria Regis,
 Hoc votum populi Sacriviensis erit.
Gaudet equis Mavors, illi victoria cordi est,
 Hinc illi vitor sacrificatur equus,
Et quia Martis equus foecundum destinat annum,
- 400 Ornatur multis panibus ante caput.
Caeditur ille etiam propter collegia sancta
 Pontificum, et curto Lustra novantur equo.
Dicimus has partes ablegmina, prosiciasque,
 Quas de mactato popa reservat equo.
- 405 Porrigit haec magnis Divis praesecta sacerdos,
 Extaque dat sanctis tota cremanda foci.
Dicimus et caviar caudam de corpore vulsam
 Acris equi, caesi palaseamque bovis.
Ereptamque sui penitam nos dicimus offam,
- 410 Thusca dedit nostris nomina terra sacriss.
Illam autem Alipedi quae pars sacrata reposta est,
 Mercurii sortem dicimus esse Dei.
At tu formosae proles pulcherrima Maiae,
 Perpetuus Soli qui comes esse soles.
- 415 Seu tangis niveae secreta cubilia Lunae,
 Et merces curas, auctaque lucra cupis.
Seu rapidum propter Solem tua plaustra reflectis,
 Et matutinis lora remittis equis.
[235] Unde novis crescent vatum praecordia flammis,
- 420 Et veniunt pulsa carmina docta lyra.
De vitulo tibi sacra facit mercator, et Idus
 Concelebrat, festas ebrius ante dapes.
Neve loquax aliquis dicta inter pocula prodat,

Fastorum Liber Decimus

- Aut precia evulget mercis iniqua sua:
425 Ante epulas, linguas avibus, pecorique revulsas,
 Post epulas, facto protinus igne cremat.
Ut discat, secreta sibi commissa tenere,
 Quisquis amicitiae iura, fidemque colit.
Verum alia est nostris ratio, tua turba, Poetae,
430 Descissis linguis cum tibi sacra damus.
Sermonis Deus es, facundae munere linguae
 Dives, et eloquio versicolore potens.
Tu trahis exangues animas, coeloque remittis,
 Quaeque placet Superis isque, redisque viam.
435 Foelix, quem placido nascentem videris astro,
 Hic poterit geminos carmine adire Polos:
Ambrosiaque satur terras rorare liquore
 Ambrosio, et nectar nil nisi dulce loqui.
Coelorum motus describet, et alite penna
440 Astrorum sedes, pictaque Signa petet.
Hic responsa Deum, nodosaque oracula solvet,
 Humanos inter nuncius atque Deos.
Quod volet efficiet fatum, si iusserit, ille
 Tantalus, hic Superos lucidus inter erit.
445 Aemonius Chiron dederit si terga videnda,
 Fulvaque conspicuo sydere stella micet.
Vergiliae subeant saxosi tecta parentis,
 Dum Taurum gelida condit Iberus aqua.
Scorpius hospitio Solem Martemque tenebit,
450 Et gemino firmus stringet utrunque pede.
Qualia natali fulserunt astra Maronis,
 Talia cum magno facta Marone feret.
Ille canet, quae verba rudi sint apta colono,
 Ut moveat faciles dulcis avena choros.
455 [236] Apta salix quae sit pecori, quaeque utilis umbra,
 Quid pecus Aegonis, quid Coridonis agat.
Agrorum cultus, quae reddant foenora messes,

Fastorum Liber Decimus

- Quos melior colles vitis opaca tegat.
Ut surgant variis decorata coloribus arva,
460 Armentisque etiam pabula laeta ferant.
Quid valeant artes medicae, quae cura medendi,
 Quid valeant herbae, quid valeatis aquae.
Arma gravi numero, violentaque bella parabit,
 Materia trucibus convenienter modis.
- 465 Atque ubi Pieria perfuderit omnia lympha
 Ibit ad Elysias, quas facit, ipse domos.
Nascentur tumulo violae, nova gramina surgent,
 Et tituli, quales vellet habere Numa.
Interea Orion Tauri vestigia propter
470 Labitur, et sensim vitrea regna¹² subit.
Pallet adhuc, totus quamvis conclusus in aere,
 Et tristi pallent sydera plura die.
Hunc olim exoriens Terra, stimulante Diana,
 Scorpius infestae cuspidis ussit acu.
- 475 Et nisi syderea posuisset Iupiter aula,
 De Iove prognatus qui moreretur erat.
Nunc bene quod toto longe est semotus ab hoste,
 Nec potis est vetitas hostis adire domos:
Qui preceps ruit, et tumidas male continet iras,
480 Per vacuum curvans brachia longa polum:
Sub quo pugnaces miserae Carthaginis arces,
 Aegypti tellus, Marmaricaeque iacet.
Et quidquid Nilus nutricibus alluit undis,
 Et Cyniphus Syrtes inter utrasque fluens.
- 485 Tritonisque palus, et qua Rubricatus anhelos
 Evolvit fluctus, et maris addit aquis.
Ampsagaque, et Savus Numidis, Maurisque bibendi,
 Atque alia Herculeo flumina mixta freto.
Ceteraque a laeva quae currunt flumina ripa,

¹² corr. pro regno

Fastorum Liber Decimus

- 490 Atlantis vasto contumulanda mari.
[237] Denique quidquid habet sterilis, vel fertilis omnis
 Africa, sub sese Scorpius unus habet.
Quo regnante altis committit semina sulcis
 Agricola, in nostras tota vehenda domos.
495 Ille super Libycas virus dispergit arenas,
 Unde frequens multo terra dracone fuit.
Illa feras gignit turpis fera, monstraque monstrum,
 Terrestres pugnas, aequoreasque ciet.
Quisquis ab exortu violenti syderis ortum
500 Sumpserit, audaces instruet ense manus.
Caedibus ille virum gaudebit, et ille ferarum
 Caedibus, inque ipsa praelia pace geret.
Vel se funeribus, vel se damnabit arenae,
 Sanguinis et vitae prodigus usque suae.
505 Ille exercebit rudibus quoscunque tyrones,
 Atque equitem dorso ferre docebit equum.
Agmina componet, simulacraque inania belli,
 Classibus hic leges, ordinibusque dabit.
Ecce tubae cecinere, vocatur civis ad arma
510 Lustranda, indixit postmodo Praeco diem,
Bis septem Octobris luces de mense supersint,
 Lustrandis armis haec erit apta dies.
Iam signum duplex Capitoli surgit ab arce
 Quod iuvenum turbam ludicra ad arma vocat.
515 Montis Aventini subter iuga campus apertis
 Porticibus, Tyberis despicit altus aquas.
Fornicibus subsunt de marmore mille columnae,
 Arma vetus paries sustinet, arma tholus,
Hinc quibus est aetas matura et idonea bello,
520 Arma iuvat sacra sumere prima die.
Armati quicunque, Tribus, Classesque capessunt,
 In Turmasque abeunt, Centuriasque suas.
Stat nova tunc acies, iussoque sub ordine tota

Fastorum Liber Decimus

- Incedit, signum subsequitur suum.
- 525 Ante Sacerdotes, cumque illis victima triplex,
 Faemina sus, niveus taurus, inermis ovis.
- [238] Nomen ut omen eat, sunt nomina fausta ministris,
 Hic Felix, alter Victor, at ille Pius.
- Ter circum campum miles, ter victima circum
- 530 Ivit, ut in medio constituit illa loco,
 Occinuere tubae, cornu cantatur adunco,
 Buccinaque, et raucum classica saeva fremunt.
- Tunc aras manibus tangens, sua vota sacerdos
 Fundit, et in flamas, quod tulit ante merum.
- 535 Audiit haec Mavors, et quae, Victoria, curat,
 Romana acies, Romulidumque decus.
- Hostia sponte sua frontem, iugulumque ministris
 Praebuit, et fausti nuncia fibra fuit.
- Increpuere focus laurus, ter flamma relaxit,
- 540 Lustrata est fuso sanguine turba frequens.
Ite bonis avibus miles novus, ite per hostes,
 Si modo quid belli Caesar ab hoste timet.
- Conservate precor quidquid superaddidit Urbi,
 Ultra Urbis fines nil vagus Orbis habet.
- 545 Pax erit, et vobis plus ludicra bella placebunt
 Quam quae sub gladio Mars violentus agit
Si quis erit sanguis, sanguis fundatur arenae,
 Sat specimen belli, si toleratis, erit.
- Ad iussum vibrare hastam, transmittere fossas
- 550 Indutumque armis frangere nando vadum.
Vincere equos cursu, volucrem per nubila coelo
 Deiicere, et palo vulnera ferre sude.
- Aut ter phalarica circum caput incitâ habenâ
 Propositum solida glande ferire scopum
- 555 Aut in equum sese veloci mittere saltu,
 Unde vibrent certae spicula lenta manus
Praeterea, dum Ver veniet, quo tempore terras

Fastorum Liber Decimus

- In varias miles castra remota petit:
Indictos plebi ludos spectare licebit,
560 Et quos Romanus dicit Apollo suos,
Sed per Aventini vallem, dum gaudia Circi
 Quaeritis, et pompa posse videre moras,
[239] Est locus, admoneo, seductus valle sub illa,
 Relligione sacer, Doliolumque vocant.
565 Deiicere hic mucum naso, vel ab ore salivam,
 Aut spurcum quidquam mittere, grande nefas.
Seu quia doliolis Gallorum hic sacra reposta,
 Seu iaceant istis ossa sepulta locis!¹³
Dardanidumque aliquid sacrorum, aut grande volumen
570 Relligionis opus, carmina prisca Numae.
Hic olim docuit causas cur Lactea coelo
 Facta via est, et quae lucida Signa secet.
Quinam habitent intra Divi circumque, supraque,
 Quae vaga diverso tramite stella cadat.
575 Moenia Coelorum crebro quassasse gigantes
 Ariete, et ad Superos exhibuisse viam.
Igne Iovem punisse scelus, duxisse colorem
 Fulminis, incensum quidquid ab igne fuit.
Arietis hinc Signum Coelorum in limine primo
580 Fixum, de victis hostibus esse notam.
Deceptum Phaëtona novo sub tramite, currum
 Solis, in ambustas praecipitasse vias.
Quid terrae tutum est, animam si ponat in astris
 Incautus Phaëton Sole parente satus.
585 Inde tamen retulit miserae solatia mortis,
 Quod sua deflevit tristia fata pater.
Quod, sine Sole dies multi, sine luce fuerunt,
 Natura in priscum visa sit acta Chaos.
Quod, ne quae fusi vestigia sanguinis essent,

¹³ fortasse legendum ?

Fastorum Liber Decimus

- 590 Iunonis maduit lacte refecta via.
Hinc illi nomen, Vulcanus addidit auri
 Fragmina, syderea quae face densa micant.
Exigui coiere ignes, fit splendor, et ille
 Candibus, in speculo sic Dea Luna nitet.
- 595 Longa via est totum quae Coeli circinat orbem,
 Atque Aequatorem bis terit orbe suo.
Cumque nitore levi quamplurima dividat astra,
 Nonnulla ex illis Signa referre satis.
- [240] Cassiopes secat argenti sub lumine ventrem,
- 600 Cum ferus occiduum Scorpius aequor adit.
Haec eadem obliquum per pennis stringit Olorem,
 Et caudam, qua tunc Scorpius ardet, habet.
Inde Sagittiferi telum penetrabile monstri,
 Cruraque Centauri vulnere tarda petit.
- 605 Argivamque ratem per summa cacumina lustrat,
 Heniochique humeros, Procyonisque pedes.
Tum coit in sese¹⁴ canescens semita Coeli,
 Qua sedet extenta Cassiopeia manu.
- Hanc habitant animae fortes, Heroes Olympi
- 610 Qui virtute sua promeruere domos.
Hic Hector blando vivit sociatus Achilli,
 Omnis munificis excidit ira Diis.
Hic Priamus Pyrrho gratatur, mitior Ajax
 Penelopes cauto dat bona verba viro.
- 615 Hic Pylius, iustusque Solon, parcusque Lycurgus,
 Et pius Aeneas, Ascaniusque pater.
Altius inter quos aeternae, gloria Romae,
 Romulus immensum sub patre nomen habet.
- Ceteraque ad portas Divorum turba Minorum,
- 620 Stat vigil, alternas excubiasque facit.
At Medii circum vittae per liminis oras

¹⁴ corr. ex erratis pro se

Fastorum Liber Decimus

- Candentis, proprios constituere lares
Consortes bis sex posuere palatia supra,
 Ius quibus in reliquos, imperiumque, Dii.
- 625 Haec Numa dicebat, Caelique exempla sequutus,
 Pluribus extruxit saxea templa Diis.
Alma sacerdotes multos hoc tempore alebat
 Roma, minor numerus civis in urbe fuit.
Tunc aedes sacrae plures, et fana, profanis
630 Aedibus, et factis fronde sine arte casis.
Vincebant fastos, festi: feriataque turba,
 Clausa irridebat iudicis ora sui.
Liber odoratas populus saltabat ad aras,
 Seu faceret Cereri, seu tibi Bacche, sacrum.
- 635 [241] Seu fractos motus ageret Faunalia propter,
 Vertumni aut ferias, Eliciive Iovis.
Divitias nullus partas de foenore habebat,
 Qui bene cantabat carmina, dives erat.
Non ego divitias posco, sat, si modo nostro
640 Carmine placari Caesaris ira queat.
Nam quid enim feci, fecit quod crimina carmen,
 Ingenio perii cur miser ipse meo?
Si cecini Veneris saevique Cupidinis arcus,
 Cui non cantati sunt Amor atque Venus?
- 645 Et vixere tamen, vivunt et honoribus aucti,
 Et quae scripserunt carmina, quisque probat.
Solus ego ingenii poenam, dulcisque laboris
 Perfero, sit nimiam sustinuisse satis.
Iam melius carmen, plenumque est laude tuorum
- 650 Caesar, opus numeros exuperante suos.
Quod nocuit, prosit: sic laesus Telephus hasta
 Peliadae, auxilium Pelias hasta tulit.
Et iam non flamas mentitas canto Corinnae,
 Sed quae tu, atque tui promeruistis avi.
- 655 Quae nati, notique tui per bella nepotes

Fastorum Liber Decimus

Gesserunt, Fastis accumulanda meis.
Quid tuti superest? isto si mense peracto,
 Qui sequitur simili fine November eat.
Hic mensis Musis sacer est, sacer atque Diana,
660 An tot virginibus non dabit ira locum?

[242]

Fastorum Liber Undecimus

Luna regit menses, tamen hic magis omnibus, illi,
 Quod nonus numero, praevalet, atque placet.
Sancta Monas sacrata Iovi, sacrataque Vestae:
 Hic etiam numerus dictus Apollo fuit.
5 At Dyas, illa duo quod corpora misceat uni,
 Et soror et coniux Iuno Tonantis erit.
Laetaque, quod geminos concordia iungat amantes,
 Haec Eratus, blandi nomen Amoris habet:
Iustitiaeque etiam, numeros haec dividit aequos,
10 Aequaque poscenti iura bilance facit.
Inde Trias magni Plutonis dicitur esse,
 Quod teneat fuscus tertia regna Deus.
Hic quoque Tergemina est, Hecate, Tritonia dictus,
 De tribus hic numerus nomina trinus habet.
15 Illum iamdudum sibi vendicat alma Minerva,
 Tertia erat mensis, cum Dea nata, dies.
Seu quia prospiciat tria prudens mente sagaci,
 Praeteritum, praesens, atque futura Dea
Quadratum Deus eloquium, numerumque quaternum,
20 Mercurius Maiae filius optat, amat.
Herculis hīc etiam est, quod quarto mensis uterque
 Natus, thus sacrum, libaque salsa capit.
Hunc per Pythagoras numerum iuravit, et illum
 Perfectum summi censuit¹⁵ esse Iovis.

¹⁵ corr. pro sensuit

Fastorum Liber Undecimus

- 25 [243] Devotus stygio numerus Quinarius Orco,
Hic sterilis, sterilem gaudet habere Deum.
Quinta dies Lunae infelix, hac pallidus Orcus,
Titanesque truces, Eumenidesque satae.
Tutelam blanda Veneris Senarius optat,
Cui fiunt sexta mystica sacra die.
- 30 Harmoniae mater, blandorum mater Amorum,
Coniugio per quam foemina iuncta viro.
Per quam prata virent, at amaena licentia florum est,
Sis iuvenis semper, florida semper eas.
- 35 Et semper cures, quae natus vulnera fecit,
Sis Panacea potens, sisque Thalia virens.
Septimus est criticus, medicinae cultor Apollo
Hunc voluit proprium numinis esse sui.
Quinquaginta duas in partes dividit annum
- 40 Sol pater, et septem pars capit una dies.
Hunc per concordant septeno carmina nervo,
Totque fides habuit, tot lyra pulsa sonos.
Per totidem coelos totidem fulgere planetas
Cernimus, inter quos Sol sua regna tenet.
- 45 Hunc cum sub lauru peperit Latona virenti.
Septima tunc mensis Targelionis erat,
Quodque puerperio foelix, hinc septimus olim
Fortunae numerus dictus et ipse fuit.
Octonus sacer est Vulcano, praesidet ille
- 50 Octobri, patruum hic in sua iura trahit.
Neptunus patruus, bis quarto mensis utrique
De tauro tellus Attica sacra facit.
Aequoreos agitat fluctus, subitoque recumbit,
In sese cubo stansque cadensque suo.
- 55 Isthmia qui primus fecit certamina, patri
Litora pulsanti, Theseus octo dedit.
At Musis sacer est nonus, Lunaeque Diana,
Pieridum Phoebo turba novena placet.
Virginibus gaudet succinctis virgo Diana,
- 60 Phoebus amat Musas, Musa sororis amor.

Fastorum Liber Undecimus

- [244] Et mentes Musis gravidae sua pignora tarde
Parturiunt, praecox vix parit ingenium.
Nec vivax partus, nisi quem plaudente Diana,
Ediderit nono mense soluta parens.
- 65 Nil contra Musas valuere Cupidinis arma,
Tempsit et istius virgo Diana faces.
Antra placent Musis, sylvae, cytharaeque, chorique,
Dictynnae, sylvae, carmina, plectra, chori.
Pierides proles Iovis, et Iove nata Diana,
70 Nomina quot Musis, tot tenet ipsa Dea.
Unctia, Lysizona potens, Enodia, Nona,
Eilithya, Hecate, Luna, Diana, Lye.
Sunt Musae Sphaerarum animae, celeresque ministrae,
Ter tres sunt Sphaerae, Pegasidesque novem.
- 75 Prima modos, cantusque docet, gressusque Diana,
Cum movet aeternos ad sua plectra choros.
Illa fides duplices fraternis artibus olim
Addidit, haud ultra crescere iussa lyra est.
Proxima telluri gravidas auditque, videtque,
80 Clamates, nono mense Diana veni!¹⁶
Sedulaque accurrit, nec deditur apertâ
Luctantem partum sollicitare manu.
Haec sunt, cur noni custodia tradita mensis,
Et Lunae mensis nona sacrata dies.
- 85 Matre puerperio laeta nova pignora lustrant,
Et dantur nono nomina prima die.
Lustricus iste dies, quo fit tibi Nundina sacrum,
Dictus, eo libum, thuraque flava capis.
Illa revertenti numero, qui nonus habetur
- 90 Praeposita, inde potens nomina Diva trahis.
Nono quoque die Romanae villicus urbi
Succedit, merces vendat ut ille suas.
Emptor adest, plures coeunt, stat vocibus aër
Confusis, resonant, pila, taberna, forum.

¹⁶ corr. pro ?

Fastorum Liber Undecimus

- 95 Iura silent, lucentque novis altaria donis,
Quae bona rurali foemina ab aede tulit.
[245] Tunc aries cadit ante Iovem, caesique cruento
Flaminiae dextra Regia tota rubet.
At si Nundinae erunt solemnes, dicimus illas
100 Mercatus, epulum rustica turba facit.
Et facit illa Deo, Divique hoc dicitur esse,
Cui fit, perfectis iugiter ante sacris.
Hoc faciunt urbis collegia, Iupiter istis
Idibus, his lautas extruit arte dapes.
105 Aut quicunque Deus mensis consedit in altis,
Hic laetos epulis gaudet adesse suis.
Audit et ipse suas laudes, et pocula missa
Suscipiens, hilaris pocula missa bibit.
Ille inter mensas, quae condita semina terrae
110 Seia conservet, quaeque Segesta refert.
Pomonam arborei foetus studiosior alter
Laudat, et in scrobibus surgat ut arbor, ait.
Ut scissum taleae truncum, sub mense Novembri,
Excipiat molli fossa cavata sinu.
115 Ut pastinetur telluri consita vitis,
Quo sub vere novo palmitem ad astra ferat:
Atque Autumnali madefactus surculus imbre,
Malleolos alte figat in arva suos.
Praeteritis alter memorat vicsisse Calendis,
120 Russatae partis Deucalionis equos.
Hos populum ludos Syllae donasse triumphis,
Nostra per hunc facta est Graecia, facta Asia.
Luce eadem Flaccum celebrem duxisse triumphum,
Captis Vulsiniis, Vulsinioque solo.
125 At Nonis templum Neptuni, colle Quirini,
Sanguine ruricolae contepuisse bovis:
Atque illi a nautis grates, et redditia vota,
Ob circumfusi passa pericla maris.
Esse parentatum Plutoni, Manibus, Orco,
130 Et Mundum infausta tunc patuisse die.

Fastorum Liber Undecimus

Quintâ post Nonas, nautis tota aequora clausa,

Et iam subductas litore stare rates.

[246] Hic Epulo, satis est horum meminisse dierum,

Idus, materies carminis apta mei.

135 Pompeii Magni proles erat ultima Sextus,

Cessit, Trinaciis iste fugatus aquis.

Hanc cladem Mylae, Maulochus vedit, et illa,

Trinacrio incumbunt oppida parva mari.

Corcyraque audivit, Cephalenia litora Sexti

140 Palantis longam composuere fugam.

Captus Demochares, misso intra viscere ferro,

Belliger erubuit vincula iussa pati.

Augustus victor, maternis tempora ramis

Implicuit, Veneri myrtus opaca placet.

145 Vectus equo subiit Capitolia celsa, Senatu,

Et populo laeta voce sequente patrem.

Utque ovibus fecit sacrum, convivia plebi

Sunt data, quae nostri distribuere viri.

Et per quinque dies ludorum copia facta est,

150 Quos curant, quibus est nomen ab aede datum.

Dum loquitur, saturo capitis cecidere corollae,

Blaesaque conticuit lingua ligata mero.

Excepit gravidum lectus caput, ipsaque lenis

Somnus, Lethaeâ lumina sparsit aqua

155 Luna cadit coelo, Cepheus cadit, et cadit audax

Cassiope, exosis praecipitata vadis.

Foelix ista quidem Cepheo sociata marito,

Sed nimis ah! pulchra prole superba parens.

Andromedam illa viro praefert, regnoque, sibique,

160 Andromede tantum quod loqueretur, erat.

Ausa etiam est illam Nymphis praeferre profundi,

Non tulit hoc Nereus, Nereidesque nefas.

Neptunus fluctu texit Cepheia regna,

Aethiopum, celsas obruit unda domos.

165 Culmina sola super, nudique cacumina saxi,

Caetera terrarum nil nisi pontus habet.

Fastorum Liber Undecimus

Paulatim crescente unda, loca celsa petebant

Aethiopes, aliis tuta carina fuit.

[247] Convenere omnes tandem quibus unda pepercit,

170 Constitit in parvo plurima turba loco.

Atque ait ad Regem: qui consulat Ammona mitte,

De ratibus nostris eligat ille ratem.

Eligit ille ratem, nondum Iovis Ammonis arae,

Nec fuerant timida templa petita rate.

175 Responsum est: laesus Neptunus finiet iram,

Cum fiet ceto Regia nata cibus.

Audiit hoc tristis dictum pater, audiit ipsa

Cassiope, lacrymis immaduere genae.

Quodque magis doleas, ipsi vinxere parentes

180 Andromedam, hoc saevo iusserat ore Deus.

Huius ut ad duras religarunt brachia cautes,

Oscula dant niveis ultima danda labris.

Pallida erat virgo, signum de marmore posses

Credere, de vivae funere funus erat.

185 Impellentis aquas monstri mare surgere cepit,

Mole gravi, absumunt grandia terga mare.

Cassiope, Cepheusque abeunt, solamque relinquunt

Andromedam, effusis stabat ut illa comis.

Felix illa dies, redeuntem Gorgone caesa

190 Persea in Aethiopum quae tulit alma plagas.

Vidit ut Andromedam victor ferus ille Medusae,

Victus in Andromeda est, dirigitque metu.

Quid faceret dubius, cui primum incurreret, haerens,

Cetum spectabat, virgineosque sinus.

195 Tandem ait, ô virgo non istis digna catenis,

Sed quibus optato iungitur una viro.

Deme metus, ego sum Perseus Danaëia proles,

Cuius in auxilio vita salusque tua est.

Aut ego, vel cetum, cuius devota sepulchro es,

200 Interimam, aut ceti victima victus ero.

Dixerat, erigitur vexato bellua ponto,

Efferaque in praedam guttura aperta levat.

Fastorum Liber Undecimus

Cum subito pennae motu tellure repulsa,

In nubes abiit dia propago Iovis.

205 [248] Descendensque cito praeceps per inane volatu,

Ense ferit turpis terga caputque ferae.

Nullum vulnus erat, resilit ceu cote retusus

Ensis, et in dura laeditur ipse cute.

Tum tentat costas, et qua tenuissima cauda est,

210 In tanto nullum corpore vulnus erat.

Ille autem secum, manus est mea debilis inquit,

Et fugit antiquus fortia membra vigor!

Aut qui terrarum monstro caput abscidit ensis,

Mollior, in monstrum nil valet ille maris!

215 Sunt alia arma mihi? Dixit, parvoque volatu

Litus adit, sicco in litore saccus erat.

Hunc rapit aversus, simul excutit, ora Medusae

Accipit, et saevae vertit in ora ferae.

Huius ad aspectum riguit fera, saxea moles

220 Facta, tenet quas tunc viva tenebat aquas.

Nondum consita erant per totum sydera caelum,

Et locus ad tabulas plurimus inter erat.

Vidit, et ex auro, Danaen quo luserat ante

Iupiter, in coelo nobile lusit opus.

225 Expansis Cepheus manibus, depictus ad Arcton,

Pallet ad oppositae guttura panda ferae.

Ora patent, fer opem, Deus ô, clamare videtur,

Hoc quoque Cassiopen dicere velle putas.

Ista Iovis quondam fuit ardor et improbus ignis,

230 Quae nunc sydereis ignibus usta micat.

In saxo sedet illa, genas contusa, comisque

Evulsis, natae deflet acerba sua.

Sub pedibus picta est Arctoi linea circi,

Perseus ante oculos, Andromedeque nitent.

235 Cum se Aries, cum se Taurus super aequora tollunt,

Tolluntur, liquidas destituuntque domos;

Quas repetunt, cum lethiferam caudam explicat algâ

Scorpius, et summa cuspide verrit humum.

Fastorum Liber Undecimus

- Andromedes peplo miscetur gemma micanti,
240 Alternantque vices noxque diesque suas.
- [249] Nec stellis lux aequa manet, sunt sydera septem
 Syderibus tredecim lucidiora magis.
- Illa autem caelo, ceu cautibus aurea pendet,
 Astringit geminas bractea clara manus.
- 245 Hic quoque servata in poenam, proh Iupiter!¹⁷ inter
 Sydera torquetur, quae tua facta nurus?
- Qui similis vivae vultus stat talis in ista,
 Et faciem in coelo virgo timentis habet.
- At Perseus vultu averso, ferus ense corusco
250 Emicat, in laeva Gorgonis ora ferens.
- Hunc infra Cetus, ceu ponto saxea moles
 Haeret, et aethereas corpore vexat aquas.
- Qui maris est, talis coelo color, aequora posses
 Dicere, sydereis aspera facta notis.
- 255 Iupiter haec pinxit, placuit pictura Tonanti,
 Nobilis historiae sunt monumenta polo.
- Sunt et in opposito, qua sese Austrina revelant
 Astra, triumphato notus ab hoste locus.
- Festa polo redeunt, illo celebranda quotannis,
260 Supremis etiam sunt sua festa Diis.
- Ecce nitet laetis accensa vaporibus Ara,
 Quatuor haec stellis flammea tota rubet.
- Qua vanos caudae contorquet Scorpius ictus,
 Ara sub Australi conspicienda polo.
- 265 Venator Chiron Leporem fert, hostia flammis
 Picta decem, sacro est iniicienda foco.
- Fert etiam pateram, rutilos qua verset in ignes,
 Inclusi quidquid nectaris illa tenet.
- Scilicet infesti Superis Titanes, Olympum
270 Intrarant, fusi terga dedere Dii.
- Exiguum coeli spatium fugientibus illis
 Restabat, Notii pars minor axis erat.

¹⁷ corr. pro ?

Fastorum Liber Undecimus

- Hic similem nostrae, quae Maxima dicitur, Aram
Constituunt, flamas Ara repente dedit:
275 Consensuque uno fuit haec devota Timori.
Crederet et quisquam posse timere Deos?
[250] Unus erat Superis Deus observandus, at illi
Ignorant, quae sit victima grata Deo.
Forte Lepus per aperta poli, Canis ora sequentis
280 Dum fugit, insolito parturit icta metu.
Phillyrides partum rapuit, factusque sacerdos,
De timidi Leporis sacra crux dedit.
Sacra Deo placuere, timor de corde Deorum
Cessit, et antiquus venit in ora color.
285 Arma manu sumunt, faustis Victoria pennis
Adstitit, horrifica concinuitque tuba.
Magna Deum virtus, pulsi Titanes Olympo,
Dant Erebo poenas, quas meruere, graves.
Mille neci misit Chiron, clavaque, ferusque
290 Calcibus, a summo trusit ad ima soli.
Queis factis laudem meruit, meruitque Coronam,
Quam contemptor opum calcat utroque pede.
Nec minus ad pugnam valuit radiante sagitta
Croton, qui sylvas Pieridasque colit.
295 Alter Centaurus, socius Chironis, et ulti
Coelicolum, nitidos cernitur ante focos.
Emergunt una pelago, noctisque sub umbra
Irradiant, terris iniiciuntque diem.
Quod Divi faciunt, Superum Roma aemula Divum,
300 Hoc agat, haec nobis sit quoque festa dies.
Causa urbis melior, natalem laeta Neronis
Concelebret, vates carmina laeta date.
In media coeli lucebat Iupiter aula,
Croton de liquidis ora ferebat aquis.
305 Lucebat Chiron, lucebat sydere claro
Aurea vicinis Hostia danda focus.
Quam bene tunc Orbis dominus pervenit in Orbem,
Natalem hunc vellet Iupiter esse suum.

Fastorum Liber Undecimus

State Palatinae laurus, custodia sacrae

310 Aedis, et Augustas cingite fronde comas.

Scis bene quod debes ramis felicibus huius

Arboris, ô Caesar, quam tibi fausta fuit.

[251] In Veientano mater concesserat agro,

Ad Tyberis ripas, Flaminiamque viam.

315 Ipsa gravis, lassis membris requieverat herba,

Orbis in infimo corpore rector erat.

Expansis pennis stabat Iovis ales in alto,

Gallina uncato candida in ungue fuit.

Haec lauri ramum rostro miseranda gerebat,

320 Mox a tam saeva dilaceranda fera.

Regia avis spectat quae certo lumine Solem,

Non potuit matris lumina ferre tuae.

Quae pedibus fulmen praefert intacta Tonantis,

Non potuit matris fulmina ferre tuae.

325 Ut vidit, visae flagravit imagine formae,

Non meminit praedae, non meminitque sui.

Excidit in gremium matris gallina iacentis,

Et lauri ramus, tinctaque bacca croco.

Neve ingrata esset, pro vita reddidit ovum

330 Accepta, hoc pretium grande salutis erat.

Livia suscepit munus, blandeque receptum

Sustulit, et tepido fovit amica sinu.

Viginti luces ierant, exclusus ab ovo

Pullus, cingebat crista superba caput.

335 Consultus vates Scribonius, omen habemus,

Rector, in hoc utero qui latet, Orbis erit.

Dixit, et Augusti materna repagula ventris

Solvisti Caesar, tunc tibi prima dies.

Ibat in aequales partes dissecitus utrinque

340 Mensis et occiduae tempora noctis erant.

Servatus pullus, mater servata, replerunt

Foecundi, innumera prole propinqua loca.

Hinc ad Gallinas incepit villa vocari,

Quae de Veienti nomine dicta prius.

Fastorum Liber Undecimus

- 345 Crevit in immensum telluri consita laurus,
Et nunc lauretum est, qui modo ramus erat.
Tot tibi syderei repant per¹⁸ colla nepotes,
Caesar, quot pullos villa beata tenet.
[252] Et domus innumeris crescat decorata triumphis,
350 Ut vix sufficiat laurea sylva tuis.
Et frontem tegat illa tuam, postesque sacratos,
Pontificisque premat virga recisa manum.
Quae veniet, veniat lauru redimita tabella,
Quae fusos hostes nunciet esse tuos.
355 Sit lituis, sit Romanis superaddita pilis
Laurea, sit nostris fascibus illa tenax.
Illa frequens Iovis in gremium descendat, et illa
Iliacos ornet multiplicata focos.
Tu modo, da Genio, cuius de Numine vivis,
360 Sacra, satur libo sit, madeatque mero.
Da divae, cuius Foelici Numine regnas,
Haec colitur Fundis rustica facta Dea.
Et colitur sacro nemorosi in colle Palati,
Hoc Lepidus struxit templa videnda loco.
365 At vos, Plebs, Equites, Patres, Matresque, nurusque
Romanae, faustum concelebrate diem.
Alba dies nivibus, quas coelum sparserat illi,
Quo regnante Orbi candida saecla forent.
Liba date, et Geniis ictus cadat agnus ad aras,
370 Nigraque ab annoso fundite vina cado.
Exoritur lux alma novum quae proferat astrum,
Scilicet exoritur Sole cadente Nero:
Ut melior surgat, rediens ad culmina coeli,
Et lustret Mundum quem modo Caesar habet.
375 Optime natalis, divinae tempora vitae
Caesaris et Solis finiat una dies.
Nec nisi cum Mundo pereat Nero, cuius ab ortu,
Post mensem, iussum Sol reparavit iter.

¹⁸ corr. pro pet

Fastorum Liber Undecimus

- 380 Tertius expulerit nocturnas lucifer umbras,
 Sternetur Matri splendida coena Rheae.
Hinc ludi Baccho, Nymphae atque Heroës in illis,
 Hic erit insana tibia mixta tuba.
Ah miser!¹⁹ occurrunt Romanae gaudia scenae,
 Et palpant sensus exulis illa viri.
385 [253] Fabula, si memini, Marcelli est acta theatro,
 Ultima luminibus scena videnda meis.
Nam quod ego posthac vidi, sine lumine vidi,
 Obruit insanum vasta procella caput.
Praecipui actores, Pylades praeceptor, et eius
390 Discipulus, vero nomine dictus Hylas.
Hic vitrei fluctus serpebant tramite curvo,
 De pulsi lapidis murmure cantus erat.
Amnem texebat fluitanti desuper umbra
 Ramus, et in grandes herba parata thoros.
395 Fallebant visus trunci, vastique recessus,
 Ut sylvam posses credere quidquid erat.
Hic mons surgebat, praeclusaque frondibus antra,
 Illuc sub laeto sydere vitis erat.
Venit in has sedes Alcides aequore fessus,
400 Thyodamantaeo concomitatus Hyla.
Herculis ignis Hylas, sine quo nec vivere tutum
 Credebat, cum quo vellet et ipse mori.
Utque recurrebant passos per salsa labores,
 Et quantum ad Colchos litoris inter erat.
405 Trusilis in scenam coniecit machina cervos,
 Hercule qui viso terga dedere fugae.
Involat hic, et quo cursu praeverteret auras,
 Occupat, imbelles assequitur feras.
Insignem maculis unum, cui cornua prima
410 Surgebant, fortis stringit utraque manu:
Atque gravem dextram media inter cornua cervi
 Libravit, caesus sternitur ille solo.

¹⁹ corr. pro ?

Fastorum Liber Undecimus

Tergora tum vellit costis, et viscera nudat,
Iliceoque aptat frusta resecta veru.
415 Ignis erat, quem parvus Hylas excusserat icto
De silice, et foliis foverat aridulis.
Creverat iniectu ramorum, et pondere sylvae,
Et coenae assandae plus satis aptus erat.
Eripitur flammis tostum, fusique per herbam,
420 Hinc iacet Alcides, inde tenellus Hylas.
[254] Ille fame enectus cum magnis artubus ossa
Devorat, it pinguis vasta per ora fluor:
Nec satis est ventri, tantus fuit ardor in illo,
Atque implacatae fervida flamma gulae.
425 Tum sese appronans fluvio, fere gutturis uno
Tractu, perspicuas fluminis hausit aquas.
Ridet Hylas, rident Nymphae sub gurgite parvo,
Rident et nemorum, turba proterva, Dii.
Et quamvis calidae tracti nidore culinae,
430 Herculis ad visus continuere gradum.
Ast ubi depositus defessum corpus in herba,
Et gravis implevit grandia membra sopor.
Et dedit ingentes rauco de pectore rhonchos,
Et Satyri, et Nymphae prosiluere simul.
435 Tibia cantabat, saltabant agmine mixto,
Et Satyri, et Nymphis non bene mixtus Hylas.
Saltantem niveo quatiebat blanda lacerto
Hinc Earis, longis crinibus inde Driops
Lethificum sensere Deae Zephyritidis ignem,
440 Ascanii Nymphae, Thyniacique soli.
Utque propinquabant ripis frondentibus amnis,
In liquidas una desiliere domos.
Et secum puerum gelidas traxere sub undas,
Clamantem frustra nobile nomen heri.
445 Stella velut coelo, noctis delapsa per umbram,
Liquitur, et pelagi contumulatur aquis.
At miser Alcides somno succussus acerbo,
Non auditurum voce ciebat Hylam.

Fastorum Liber Undecimus

- Litore Hylam, furibundus Hylam, per devia, perque
450 Cognita quaerebat, non erat ullus Hylas.
- Ecce superpositae decussa volumine nubis
 Fama, per aethereas currere visa vias.
Mille oculi, totidemque aures, pennaeque loquaces,
 Inque uno geminae, quas agit, ore tubae.
- 455 Et cecinit: tuus ille tuus sub pondere clavae
 Sudavitque satis, delituitque satis.
[555 sci. 255] Iam requies illi parta est, finisque laborum,
 Nunc in vicino gurgite Numen habet.
Vive memor pueri, si quos servaveris ignes,
460 Ille tuus vivens, mortuus ignis erit.
Audiit Alcides, scenaeque in parte sinistra,
 Aram constructam cespite,²⁰ vovit Hylae.
Atque ait, aeterna puer ô dignissime vita,
 Nunc Deus, e nostra munera sume manu.
- 465 Vivacis quercus frondes, et olentia serta,
 Et clavam, et pharetræ tela reclusa meae.
Ipse tibi, Nymphisque tuis, si quando licebit,
 Cum mulso, atque oleo, mellaque, lacque dabo.
Sis facilis, saevaeque avertas iussa novercae,
470 Et si nil aliud, haec quoque iussa leves.
Visus Hylas audire preces, et sumere ab ara
 Purpureas violas, puniceumque crocum.
Fabula conclusa est, sed plusquam fabula visa est,
 Historiaeque etiam sensa referre novae.
- 475 Nuper Marcellus Baiis decesserat, illum
 Augustus patro fovit amore magis.
Alcides Augustus erat, Marcellus in illa
 Scena, supposito nomine dictus Hylas.
Non tenuit lacrymas Caesar, crudescere vulnus
480 Sensit, et erupit qui dolor intus erat.
O Pietas!²¹ patrios motus retinere nequivit

²⁰ corr. pro sespite

²¹ corr. pro ?

Fastorum Liber Undecimus

- Caesar, habet scena proxima tempa Dea.
Carcer erat, sones inter damnata iacebat
 Foemina, crudeli conficienda fame.
485 Unica plangentem partu resoluta recenti
 Filia, maternam est ausa levare famem.
Et quamvis custos tenebrosi carceris eius
 Excuteret vestes, excuteretque sinus:
Ne quid nata cibi inferret, miseraeque parentis
490 Funera differret, protraheretque dies.
Ubera restabant, satiabat ab ubere matrem,
 Et satis ad vitam tam pius uber erat.
[256] Nesciit hoc custos, iejuno corpore matrem
 Miratur sextum iam superesse diem.
495 Cautior intrantis servat vestigia natae,
 Postque illam lento venit ad ima gradu.
Illa autem solvit pectus, nudatque papillas,
 Applicat et tumidos matris in ora sinus.
Sugit anus, gaudetque sitim recreata, famemque,
500 Et natae grates, quas potis ipsa, refert.
Tum primum motus custos pietate, recessit,
 Et rigidae lacrymis immaduere genae.
Hoc cum rescisset, populo plaudente, Senatus,
 Et matri et natae sunt alimenta data:
505 Carceris inque loco Pietati tempa sacrata,
 Hic ubi Marcelli iuncta theatra vides.
Fas mihi sit, quae facta semel sunt sacra, referre,
 Queis primum vere barbara Roma fuit.
Octo dies de mense super, lacrymabilis omnis
510 Annus, et omnis erat clade notata dies.
Et coelum lapides dederat, dedit unda crux,
 Corpora sunt telis multa perempta Iovis.
Occiderat Paulus, tergumque Terentius hosti
 Praebuerat, celeri non bene raptus equo.
515 Tunc laceratus iit nostris in stragibus Orbis,
 Cum qui pugnaret, nullus in urbe foret.
Tunc caesorum animas una traducere cymba

Fastorum Liber Undecimus

- Non potuit Stygiae navita saevus aquae.
Ipsae ultro in fluctus ibant, ripamque petebant
520 Nigrantem, et nigri tristia regna Dei.
Annibal ipse super miseranda stragis acervos
Victor, captivis iura severa dabat.
Aufidus et fluvii nomen, faciemque locorum
Perdiderat, tumulus qui modo flumen erat.
525 Terra cadaveribus deerat, se praebuit amnis
Funeribus, busti tunc fuit unda loco.
Et sacrum Cereris, Divorum et sacra remissa,
Iusticium in misera tunc fuit urbe Diis.
[257] Prodigiis etiam est omnis perterrita Roma,
530 Extinctus Vestae traditur ante focus.
Vestalesque duas stupri subiisse nefandum
Supplicium, et moechum terga dedisse flagris.
Consultus Phoebus, consultaque scripta Sibyllae,
Inferno indicunt sacrificare Iovi,
535 Graecus cum Graeca, Gallus cum coniuge Galla,
Debita placandis victima visa Diis.
In medio sua membra Foro tumulanda dederunt,
Cui iam mactato de bove nomen erat.
Utque superposita caesi sunt conditi arena,
540 Inferias illis, iustaque Roma dedit.
Has inter caedes Ditis pater extulit ora,
Et visus facto mitior esse sacro.
Mox caput exciso penitus demersus hiatu,
Ad Manes rediit, barbara regna, suos.
545 Non ea mansuescunt radiis Hyperionis almi,
Non ibi vernantis temporis aura viget.
Hic tenebrae, gelidaeque hiemis penetrabile frigus,
Luctus, et ultrici saeva Megaera flagro.
Sed nec qualis hiems nobis, cum Sole remoto,
550 Lux brevis et longae tempora noctis eunt.
Hanc Brumam²² dixere patres, Brumalia festa

²² corr. ex erratis pro Brunam

Fastorum Liber Undecimus

- Instituit primum Romulus inde Numa.
Per triginta²³ dies sunt haec celebrata Quirino.
Otia cum bellis frigida Bruma daret.
- 555 Per triginta dies Patribus convivia fecit
Romulus, et Plebi farra merumque dedit.
Sic iuvit passas bello deponere curas,
Atque animum multo sollicitare mero.
Promptior²⁴ ad bellum est, et fortius utitur armis,
- 560 A mensâ quisquis miles ad arma venit.
At Numa, cui delubra Deum, requiesque laborum,
Et pax militibus plus placuere feris.
Festa eadem Bromio fecit, cognomen Iacchi est,
Dicitur a tanto Bruma vocata Deo.
- 565 [258] Rusticus his posita terrae semente diebus
Ludit, et arma domum rustica portat anus.
Tunc requies rastris, requies tunc utilis agris,
Festaque cultoris brachia vitis amat.
Sat cultus totum passa est lacerata per annum,
- 570 Unius requiem mensis amica rogat.
Sed differte precor convivia vestra Quirites,
Prima dies Brumae,²⁵ quod, doleatis habet.
Hac duplices acies prostratae, fusus uterque
Consul, et a Poeno diruta castra Duce.
- 575 Plusquam hostis fecere nives, gelidaeque pruinae,
Et dubio Trebiae flumina stricta gelu.
Non ego Cortonae montes, saltusque, locumque,
Occupat ignava quem Thrasymenus aqua.
Flaminiique necem taceam, turbataque castra,
- 580 Extinctamque aciem fluctibus, ense, fame:
Italiam vastatam armis hostilibus, et tunc
In Poenam socios transiliisse fidem.
Hinc quae Mavorti fuerant concepta, fuisse,

²³ tringinta aliquot exemplaria

²⁴ corr. pro Pomptior

²⁵ corr. ex erratis pro Brunae

Fastorum Liber Undecimus

Et maiora etiam reddita vota Deo.

- 585 Et Veneri Matri, Siculo de nomine templum
Promissum, quale est quod tenet altus Eryx.

Vota etiam et Menti delubra, Iovique Latino
Ludos, si nobis prospera pugna foret.

Huic quoque sacratos foetus, qui Vere venirent,
590 De capris, ovibus, setigerâque sue.

Post Trebiae clades, Thrasymenaque funera, primum
Hoc factum est, quod Ver dicimus esse sacrum.

Quarta dies Brumae processerit, occidet illa
Romana struxit qui prior arte lyram.

- 595 Si tenuit vestras numerosus Horatius aures,
Sit docto cineri, dicite, terra levis,
Et simul inverso terram perfundite vino,
Hoc habeat tanti flebilis umbra viri.

Si vos plura iuvant, tumulum conspargite flore,
600 Qui Maecenati iunctus in urbe suo est.

[259] Effusis Hyades lacrymis flevere Poëtam,
Quas ferat in patris vix habet ulla sinum.
Natarum exsuccos vultus, et lumina sicca,
Miratur Mauro gurgite clausus Atlas.

- 605 Utque oculis fusum reparet pater ipse dolorem
Prolis, in occiduam corpora mersit aquam.
Inde babit quantum saevo satis esse dolori
Ad vatem, et fratrem praefica turba putat.

Qui restant de mense dies videre triumphum
610 Aemilii, et Macedûm brachia vincita Ducum.
Illa triumphato quae Gens gaudebat ab Orbe,
Victa, triumphata est, pars quoque iussa mori.
Et quidquid spolii domito detraxerat Orbi,

Reddidit, Orbis opes Roma superba tenet.

- 615 Persea mirata est pullata in veste furentem.
Misisse in superos verba nefanda Deos.
Nequidquam duras morsu tentasse cathenas,
Nec rabiem in ferro continuisse suam:
Cum geminos natos, teneramque aetate puellam

Fastorum Liber Undecimus

- 620 Cerneret, immeritos indita vincla pati.
Sorte quoque in simili famulos, turbamque propinquam,
Armaque, cum gaza contumulata sua.
Aemuliumque super curru victore sedentem,
Auratum, Latii scandere templa Iovis.
- 625 Vix ternas luces huic suffecisse triumpho,
Productos facium luce fuisse dies.
Vive metu posito Perseu, non longius ibit.
Dedecus, in summo limine fama tua est.
Te Fati expectat brevis hora, in carcere clausum
- 630 Subtrahet alato Mors inopina pede.

[260]

Fastorum Liber Duodecimus

- Vesta Fave, Genique, quibus sacratus habetur
Hic mensis, vates vos modo Naso rogat.
Vester ero, si me revocatum exceperis aede
Vesta, parentalি reddiderisque foco.
- 5 Et videam natae vultus, et coniugis ora,
Coniugis, et natae colla, caputque premam.
Sub te censendum est quidquid flamma hospita nutrit,
Et per te regnant patrii in aede Lares.
- 10 Et Genii per te genuerunt cuncta potentes,
Et servant eadem, quae genuere, manu.
Illi adsint reduci, dabo vina liquentia vobis,
Imponamque unctis florea serta comis.
- 15 Ad coenam Cattus veniet, venietque Perhilla,
In cuius studiis duxque, comesque fui.
Altera nata mihi, cuius nunc carmina Roma
Cantat, post illam Lesbia nomen habet.
- 20 Maximus, et Brutus, magnae duo corpora famae,
Occurrent, dicent mox bona verba mihi.
Me Messalino iunctus Rufinus adibit,
Tu quoque pars animae multa Severe meae.
Et tandem referes vati Graecine salutem,
Quam tibi de Ponto nostra tabella dedit.

Fastorum Liber Duodecimus

- Atticus, et Flaccus, puroque in corde Solanus,
Advenient, Cotta concomitante meo.
- 25 [261] Tum Cotys, et Macrus, Rufusque, et Sextus, et actis
Clarus Vestalis, Regibus ortus avis.
Vos quoque dicetis socii pia turba Poetae,
Iam rediit nostri pars modo Naso chori.
Iam reduci licitum patrios intrasse Penates,
30 Coniugis inque suae consenuisse sinu.
Et dare placatis genitalia munera flammis,
Inque domo certa posse quiete frui.
Non ita Dis visum est, sunt haec insomnia vatis,
Vivite, iam vobis, ut sibi Naso iacet.
- 35 Aut si vitae aliquid superest, peragenda sub axe est,
Hoc mihi supplicium Caesaris ira dedit.
Atque utinam properata forent mea fila senectae,
Saevius hoc morte est, non potuisse mori.
Infelix Genius nascenti, nubila Parca
- 40 Adfuit, et vere Iuno noverca mihi.
At vos, ô socii, nati melioribus astris,
Aurea queis vitae sors, facilisque fuit.
Indulgete bono Genio, cantuque, lyraque,
Et potu refugos continuante dies.
- 45 Sat mihi, sat fuerit, si quis me nomine dicens,
Devoveat lacrymis pocula mixta suis.
Addat et hoc, melius nobiscum Naso iaceres,
Quam nunc in Scythico flebilis Orbe iaces!
Vivite felices, totusque in pocula mensis
- 50 Hic eat, aeterno luceat igne focus.
Quam iuvat e mensa ventos audire frementes,
Litoraque irato plangere pulsa mari.
Neptunumque super pendentem cernere fluctus,
Dum male concordes pallidus urget equos.
- 55 Dum scassis coelum contristat nubibus Auster,
Lanosaque solum contegit aura nive.
Et longae lusu fastidia ponere Brumae,
Sortiri aut talis regna beata meri.

Fastorum Liber Duodecimus

Dum tempestatum contemptrix vertice nudo

60 Per medias ludit rustica turba nives.

[262] Namque ubi Nonarum nituere crepuscula prima,

Exilit e pago sedula quaeque suo.

Fistula disparibus stridet compacta cicutis,

Panos opus, ruris fistula grata Diis.

65 Quae semel audita est per totos tinnula pagos,

Plausibus, et laetis cantibus aura fremit.

Armentis, pecorique tument praesepia foeno,

Hordeaque alveolis accumulata suis.

Festa taurorum cinguntur tempora vitta,

70 Cornuaque e pinu facta corolla tenet.

Praecedit Flamen pannuceus, hunc tegit albus

Pileolus, tutulum lanea fila tegunt.

Tum Regum Latii subeunt simulacra priorum,

Sustinet haec iuvenum, villica turba, manus.

75 Italus hîc, nostrae qui fecit nomina terrae,

Purpureos fertur ligneus ante Deos.

Huic modo succedit barbaque et crine Sabinus

Horridus, et setis pectora tecta feris.

Hinc Saturnus, huic Iani bifrontis imago

80 Proxima, mox qui nunc martia picus avis.

Picus equûm domitor quondam, cui sola placebat,

Quod bene cantaret Nympha vocata Canens.

Non illum Dryades, non illum Numina aquarum

Naiades usserunt, usserat una Canens.

85 Quas cum non posset flammas avertere Circe,

Nec posset flammas ipsa tenere suas:

Fassa est. Ille ferox orantis brachia Circes

Reppulit, et miserae ferre negavit opem.

Titanis contempta furit, virgaque negantem

90 Ut tetigit, sensit se modo Picus avem.

Et frustra iratus percussit robora rostro:

Non sunt haec Circes oscula danda labris,

Qui si non durus poscenti Pice fuisses,

Debueras fato prosperiore frui.

Fastorum Liber Duodecimus

- 95 Nec dilecta Canens luctu liquefacta medullas,
 Isset in aethereas extenuata plagas.
[263] Filius his Faunus, qui poena territus horum,
 Nil non permissum credidit esse sibi.
Hic in amore salax, Nymphas subigebat agrestes,
100 Laurenti matres, Italidasque nurus.
Hae flammae Nymphis, flammae placuere puellis,
 Nec rigido Fauno gratior ullus erat.
Quaeque olim Nymphis, et quae fuit ante puellis
 Virginitas virtus, tunc fuit illa scelus.
105 Hinc Fauni, Satyrique, et qui Deus inguine tenso
 Cogit sylvicolas in sua vota Deas.
Hinc fluxit Divum proles numerosa minorum,
 Qui reliquis Faunum praeposuere patrem.
Huius imago Dei Reges erat inter avitos
110 Ultima, sed solus qui coleretur erat.
Ut medius stetit inter avos, araeque receptus,
 Hirsuto has Flamen misit ab ore preces.
Capripedium foecunde pater, quem quaeque puella
 Ut sensit, ventris mox quoque sensit onus.
115 Tu ferulis caesae factis de pelle capellae,
 Fertilis ut fiat tacta marita facis.
Nec melius quam nos faciunt tua sacra Luperci,
 Nec saltant levius, floridiusve canunt.
Seu iuga per Coeli discurrant ardua montis,
120 Seu teneant Tyberis templa locata sinu.
Parturiant geminos caprae, geminosque bidentes,
 Poscimus, hoc anno sit satis esse semel.
Et quamvis binos sustentent ubere foetus,
 Foecundum ad mulctrām bis tamen uber eat.
125 Pelle lupos septis, et pingua pabula cura,
 Solve pecus morbis, quos mala gignit hyems.
Si quis oves error, si quis per rura capellas
 Egerit, his comites tu quoque iunge canes.
Sponte sua redeant, sic cum tibi sacra parasset
130 Romulus, amissas ipse recepit oves.

Fastorum Liber Duodecimus

Haec simul ut dixit, mactatae viscera caprae

Eruit, ardenti mox dedit illa foco.

[264] Illinitque²⁶ aram mixto cum lacte cruento,

Inque ignes fudit pocula multa meri.

135 Interea repetit festivos fistula cantus;

Rusticus albentem ter pede pulsat humum,

Et salit inflatos risum moturus in utres,

Si saliens, refugo pulsus ab²⁷ utre cadat.

Turba puellarum pueris sociata Latinis,

140 Spectat, et hirsuto iuncta Sabina viro.

Arboris in trunco, quibus est maturior aetas,

Praemia qui referant, iudiciumque, sedent.

Si iuvenis steterit stabili pede desuper utrem,

Is victor ludi dicitur esse sacri.

145 Accipit aut lorum, quod fibula stannea mordet,

Buxeave artificis vasa cavata manu.

Hos primum ludos docuit terra Attica, Theseus

Fecerat, agricolis hi placuere viris.

Non curant quae nos spectacula quaerimus, insons

150 Omnis ab effuso sanguine turba fugit.

Non pugnae meminit priscae, meminitve triumphi,

Pax illi, cum nos Parthica bella vocant.

Haec notos pagos parvum constringit in Orbem,

Nec putat immensum longius ire solum.

155 Navalem Octavi nescit gens illa triumphum,

Conspicuum, cum tunc prima Decembbris erat.

Nec Ligures victos, ferri traxisse cathenas,

Cum Rex in niveis Marcius iret equis.

Nec Gallos, Carnosque Duces, Capitolia nostra

160 Vidisse, evincta post sua terga manu.

Qui saltu vicit, disco, cantuve vocantem,

Ille triumphato victor ab hoste redit.

Non caedis meminit Ciceronis, nec putat isto

²⁶ corr. pro Illinitque

²⁷ ac aliquot exx.

Fastorum Liber Duodecimus

Natalem Flaccum mense habuisse suum.

- 165 Rustica concordi cum vivat faemina lecto,
 Nescit Iunoni sacrificare Iugae.
 Nec vicum novit, nec quam nos novimus aram,
 Ad quam non concors urbica sacra facit.
 [265] Praecipue cum quinto Idus, de more vetusto,
170 Caeditur ad nitidos alba columba focos.
 Quod viduae faciunt simul innuptaeque puellae,
 Ut faciles donet pronuba Iuno viros:
 Non faciunt ruris cultrices, omnibus aequus,
 Et bonus, et facilis cuique maritus adest.
175 Perdidit has nondum, quae nunc male sana libido
 Perdit matronas, Romuleasque nurus.
 At bona gens novit, qua surgat Perseus hora
 Quoque salum subeat tempore, quoque loco.
 Quid ferat Heniochusque cadens, rursumque resurgens.
180 Quid signet laeva fixa Capella manu.
 Haec pueri e cunis discunt: sedet obsitus aevo
 Ante focum, circum stat numerosa domus.
 Ille refert. Pietas Dis acceptissima semper,
 Et fuit, et fallunt me nisi, semper erit.
185 Lucifero natus, memini si nominis eius,
 Ceix, Ioniam nave petebat humum,
 Hic responsa dabat dubiis consultus Apollo
 In rebus, mutus, nunc manet ille Deus.
 Alcyone coniux frustra retinere maritum
190 Tentarat, maestae nil valuere preces.
 Ut medium pelagi tenuit ratis, aequora ventus
 Turbat, et a cuncta parte procella venit.
 Non potuit venti rabiem Trachinia puppis
 Ferre, nec undosi tristia bella maris.
195 Succubuit tot victa malis, sub gurgite vasto
 Errantem moles texit aquosa domum.
 Nequicquam Ceix socerum, patremque, vocabat,
 Nequicquam uxorem, Trachiniique Deos.
 Ceicis pelagi mersum caput obruit unda.

Fastorum Liber Duodecimus

200 Quae miseri in patriam naufraga membra tulit.

 Litore tunc stabat coniux, ut vidit in alga
 Corpus, et exanguis pallida labra viri.

 Desilit in fluctus, et quae fuit Aeolis ante,
 Ionii facta est ales amica maris.

205 [266] Illa volat, corpusque sui complexa mariti,
 Implet flebilibus rostra caduca sonis.

 Dumque fovet gelidum miseranda recentibus alis,
 Incaluit, vitae certaque signa dedit.

 Sed non qualis erat, cum Rex sua sceptrta tenebat,
210 Fit volucris, pennis brachia tecta novis.

 Inter utrumque manent veteres in pectore flammae,
 Et reparant culti foedera sancta thori.

 Aeolus ipse favet, servatque nepotibus aequor,
 Neve illis noceat ventus et unda, facit.

215 Ante dies septem quam Titan tempora Brumae
 Claudat, et extremo carcere solvat equos:

 Incumbunt nidis volucres, quae nomina servant
 Alcyones, nautis tunc via tuta maris.

 Perque dies septem tranquillis²⁸ fluctibus aura
220 Ioniis lento flamme parcit aquis.

 At cum defessus cursu confecerit annum
 Phoebus, et alterius tempora mensis erunt.

 Assurgent iterum fluctus, ut si qua per undas
 Navis eat, saevum sentiat esse mare.

225 Hoc facit exoriens Capricornus, prisca refertur
 Fabula, cur coeli stet vigil ante fores.

 Typhon, seu Typhoeus, Memphytica regna tenebat,
 Niliacis ripis arcueratque Deos.

 Iunonis soboles Typhon, sine patre creatus,
230 Trinacriam totam mortuus unus habet.

 Grandia tres montes retinent vix membra sepulti,
 Aestuat, et pondus, quod super, ipse movet.

 Devictum pugna fratrem discerpsit Osyrim,

²⁸ tranquilis aliquot exx.

Fastorum Liber Duodecimus

Ausus et in magnum signa movere Iovem.

235 Iupiter extimuit, nec quod speraret habebat,
Pauci de Superis, qui sequerentur, erant.

At Typhoni acies stabat numerosa gigantum,
Et paucis superis, et metuenda Iovi.

Conveniunt isti, Panos longaeva senectus
240 Consulitur, bellum qua ratione ferant.

[267] Si nos mentitis, dixit, caelare figuris
Non pigeat, saevo liberi ab hoste sumus.

Dux aries ovium fit Iupiter, Ibidis alas
Mercurius, squamas sumpsit amica Venus.

245 Fele soror Phoebi latuit, Latonius atro
In corvo, Bacchus tygride, Pallas ove.

Aegoceros monstrum Pan factus, cornua fronti
Sunt data, sed reliquo corpore piscis erat.

Horridus et barbâ visus: superadditus hosti
250 Terror, ut e concha classica rauca dedit.
Infremuit Typhon, trepidi infremuere gigantes,
Et capiunt subitam, qua licet usque, fugam.
Arma manu ponunt, steriles per devia arenas
Pars petit, et Syrtes, Marmaricumque solum:

255 Trinacriam Typhon. Pelago supereminet alto,
Impexumque fremens tollit ad astra caput.

Tum pecudis forma, simul et formidine pulsa,
Iupiter excussit fulmina rubra manu.

Flagravit Typhon, triplicis sub pondere montis
260 Nunc quoque dat flamas, quas dabat ore prius.

Neve iterum in coelum ferrent sua bella Gigantes,
Turbarentque alti Numina sancta poli.

Aegoceronta Deus foribus praefecit Olympi,
Et primam Solis iussit habere domum.

265 Ille autem flamمام cendentem naribus efflat,
Et gemino nitidum concutit igne caput.
Cornuaque effulgent, pectus, venterque, pedesque,
Tergaque: et e dupli sydere cauda micat.
Hic Phoebus reparat veteris cunabula cursus,

Fastorum Liber Duodecimus

- 270 Et repetit coeli, quod bene novit, iter.
Tu nunc ruricolum recreas Capricorne penates
 Ignibus accensis, dum mala vexat hyems.
Tu retrahis ductas summa ad fastigia noctes,
 Nascentemque facis longius ire diem.
- 275 Tu nos, tu pecudes servas, rurisque colendi
 Otia das, custos Pan Tegeae boum es.
[268] Et montes, saltusque habitas venatibus aptos,
 Et tua piscator cornua sancta colit,
Cum gregibus saliunt audita armenta cicuta,
280 Et gelidi fontes, arboreaeque comae.
Sit licet incauto lupus insidiator ovili,
 Et timeant vulpis vulnera cortis aves.
Nos quoque tum fures, cum saevi militis ensis
 Terreat, a nostris tot mala pelle casis.
- 285 Terrores subitos falsa sub imagine mitte,
 Hostibus, inflata personet aura tuba.
Fulmina falsa micent, et mixtus grandine turbo,
 Spissaque nox, et quae somnia monstra ferunt.
Hos simul abstulerit lymphaticus error, habebis
290 Mel mixtum lacti, purpureamque sapam.
Tu quoque placabis, flaviis qui gaudet, Olorem,
 Ne fundat pluvias, ne serat ille nives.
Exurgit tecum, tecum descendit in undas,
 Hinc premit Aestivus Circulus, inde Polus.
- 295 Hoc surgente diem quisquis subit, aucupis artes
 Tractat, et aeris gentibus arma movet.
Aut gruibus pedicas, merulis aut retia tendit,
 Aut parvas visci glutine captat aves.
In casses veniunt turdi, veniuntque palumbes,
300 Non avis occultos effugit ulla dolos.
Ille avium voces simulat, volucresque retentas
 In caveis, nostro cogit ab ore loqui.
Et cantum novit, quem natum Phoebus Apollo
 Scire dedit, Cygnus filius huius erat.
- 305 Nam quod progeniem Martis longaeva vetustas

Fastorum Liber Duodecimus

- Cantavit Cygnum, nil ego tale puto.
Quid cygno cum Marte? Deo fera bella, cruorque,
 Pax cygno, et sylvis condita stagna placent.
Creditur hinc, quod sit proles Neptunia Cygnus,
310 Qui vires, factus, lusit Achillis, avis.
Aut Steneli natus, fleto Phaëtonte, volucris,
 Quae colit Eridanum, Vesuliosque lacus.
[269] Aut qui candardi pluma contextus, utramque,
 Et Nemesim, et Ledam pressit adulter olor.
315 A Iove donata est coelo formosa volucris,
 Hoc pretium stupri Leda, vel illa tulit.
Inde volunt Helenam formosam, et Castora ab ovis,
 Pollucemque etiam prosiluisse pium.
Non ego, quae nautis, Helenam, mala plurima portat,
320 Optarim, flamma est exitiosa nimis.
Troia per hanc arsit, quoties super aequora lucet,
 Funera dat pelago, quae dedit ante solo.
At fratres adsint Helenae, duo prospera semper
 Sydera, quae coelo nubila nigra fugant.
325 Primi nos arcus, primi docuere sagittas,
 Et multo saltus sollicitare cane.
Quod studium Procyon nascens foeliciter auget,
 At male cum pelagi praecipitatur aquis.
Ille oritur cum iam Cancri trigesima pars est,
330 Occumbit, surgis cum Capricorne freto.
Felix ille quidem nascentibus, extulit ut se
 Oceano, et terno sydere celsa petit.
Ast ubi defessus praeceps delabitur Orbi,
 Nascetur quisquis, praeda futura ferae est.
335 Aut rabidi morsu canis, aut spumante peribit,
 Laesus apro, nati vix leget ossa parens.
Hoc quondam Actaeon sub sydere dicitur ortus,
 Et Calydone fera qui cecidere Duces.
Et miser in Veneris luctus laceratus Adonis,
340 Qui nunc in nostris plurimus ardet agris.
Haec ubi narravit pueris mirantibus, ignes

Fastorum Liber Duodecimus

- Ante senex, longas extruit arte dapes.
Cetera turba coit iuvenum, matrumque, sedentque
 In scamnis, Fauno dum sacra festa colunt.
- 345 At Romae sexta post Nonas luce litatur,
 Montibus a septem lux ea nomen habet.
Haec quoque Agonalis dicta est, nam voce vetusta,
 Et mons, et collis dicitur omnis, agon.
[270] Quot montes urbi, tot fiunt sacra per urbem,
- 350 Cur fiant illo tempore causa subest.
Servius ut populi numerum succrescere sensit,
 Montibus antiquis addidit ille duos.
Cum septem montes tentaret cingere muris,
 Signassetque sua moenia ducta manu.
- 355 Sacra Deo vovit, praeerat qui rebus agendis,
 Si bene tentatum continuaret opus.
Perfecit, lassosque boves sub pondere saxi,
 Et lassos saxi pondere solvit equos.
Et fabros iussit feriatos esse, suisque,
- 360 Montibus in septem vota referre Diis.
Tum Rex sacrorum supremo in colle Palati,
 Numina lanigerae coniuge placat ovis.
Hoc sacrum veteres dixere Palatuar, inde,
 Monte Palatino quod iuguletur ovis.
- 365 Sic et Fagutal sacrum, collemque vocamus:
 A fagis, et mons, et sacra nomen habent.
Abcissis tandem fagis, et vimine nato,
 Vimineus dictus collis et ille fuit.
Alba Suburano non defuit hostia monti,
- 370 Nomen ab excubiis ante ferebat idem.
Summus Aventini vertex, Tarpeiaque alte
 Sanguine profuso subruberuere iuga.
Coelius hinc, et qui collis de voce Quirini
 Dicitur, accipiunt hac quoque luce sacrum,
- 375 Atque inter ferias, Agnalia festa Statis,

Fastorum Liber Duodecimus

Pontifices nostri dinumerare²⁹ solent.

Sed quisnam ille Deus, cui dat sua thura sacerdos?

Dum septem montes urbica turba terit?

Cui ludi fiunt, et Equiria luce sequenti?

380 Omnia quae a Graecis nomen Agonis habent.

Ille quidem, quod agat, vocatur Agonius, at nos

Romani, Ianum credimus esse Deum.

Principium dat rebus idem qui perficit, annum

Incoat, et nostris actibus ille praeest,

385 [269 sci. 271] Tempora committit nascentia rebus agendis,

Inceptumque suo Numine claudit opus.

Huic Numa Rex quandam sacravit Agonia festa,

Huic et equos iunctos curribus ire dedit.

Hic revocat priscos Saturni tempore ritus,

390 Quisque sibi dominus, servus et ipse sibi.

Quippe quod a prima nascentis origine Mundi,

Aequales omnes, non herus ullus erat.

Hinc cum Saturni redeunt sub fine Decembris

Festa, fit antiquo par modo servus hero.

395 Exercet mensas laetus, dominoque magister

Quisque suo, dominus cuique minister adest.

Saturno patri Ianus construxerat aram,

Qua Capitolini se iuga montis agunt.

Tum per crudeles lacerata est terra colonos,

400 Et dictum, ille tuus campus, et iste meus.

Tum primum quisquis pollebat viribus, ille

Invalidis cepit iura, metumque dare.

Tum domini auditum nomen, servique, flagellis

Barbaricis insons qui sua terga daret.

405 Hoc Ianus vetuit, patrique altare dicavit

Atque ait, huc quisquis confuge, tutus eris.

Restituit lapsum Alcides, tunc si quis ad aram

Fugisset servus, noluit inde trahi.

Hic templum Tatius posuit, tum Lartius auxit,

²⁹ diminumerare aliquot exx.

Fastorum Liber Duodecimus

410

Et vetus in templo, quae fuit, ara manet.

Cumque nefas mihi sit nostris discedere Fastis,

 Perfectum est illud Consule Minutio.

Hic super aerati posuit fastigia tecti,

 Tritonem, tortam voce replete tubam.

415

Pars suprema viri, piscis pars cetera, cauda,

 Pro pelago, immoto verbere inane quatit.

Hoc anno primum Saturni festa per urbem

 Cognita, tunc servis nomen herile datum.

Pilea tunc gestant et tinctas murice vestes,

 Et licitum Tyriis accubuisse thoris:

[270 sci. 272] Et toto cantare die, vinoque iocisque,

 Atque cibis Venerem sollicitare suam.

Donec ab Assyriae luco Cephalaeia coniux,

 Adveniens croceo lumine pingat humum.

425

Tunc ubi ridendas implevit fabula partes,

 Post septem luces disimulata cadunt.

Saturni ad templum taurus mactatur, ubi eius

 Cornua ab effuso commaduere mero,

Ara nitet flammis, in cera sustinet ignes

 Quisque suos, dedit has faemina multa faces.

Scilicet humanas Saturnus repperit artes,

 Unde mihi lux est, unde perennis honor.

Religione homines tenuit, moresque benignus,

 Formavit, quales vix habuere Dii.

435

Iste manu larga sua munera sparsit in omnes,

 Quae nunc convivis munera parva damus.

Ops quoque, quae Terra est, quod ab illa cuncta petantur,

 Cunctaque Telluris sufficientur ope,

Et saturet fructu: Saturni dicitur uxor,

 Atque illa colitur, qua vir in aede Dea.

Sola etiam extractam retinet, quam Cassius³⁰ aedem,

 Obtinuit, factus suspicione nocens.

Ianus Opi, patrique suo, de more Pelasgum,

³⁰ corr. ex erratis pro Cassis

Fastorum Liber Duodecimus

- Sacra dedit, multa quae nituere face,
445 Non illis licitum est indicere bella diebus,
Non illis quemquam plectere morte reum.
Sanguine profuso melius placantur arenae,
Hac, noster, quisquis caeditur, hostis erat.
Saturnus tamen ille suo genitalia patri
450 Abstulerat, quorum semine nata Venus.
Ederat et natos, ne quis violentus Olympo
Truderet, e solio deiiceretque patrem.
Tunc Graecis visus laetari sanguine nostro,
Humana hinc saevo victima caesa Deo.
455 In Latium invectos ritus Iove natus abegit,
Proque homine effigies, et simulacra dedit.
[271 sci. 273] Haec prisci patria dixerunt voce sigilla,
Unde Sigillaris lux quoque nomen habet.
Illo parva die Saturni ad templa feruntur,
460 Signa, virûm vultus fictile format opus.
Pro veris, fictis gaudes Saturne figuris,
Deque sigillorum nomine festa placent.
Et cum dives opum tunc ditia munera mittat,
Roma, magis populum testea dona iuvant.
465 Seu rubrica notet miniato vasa colore
Aut argilla Sami, Lemniacive soli,
Seu cinere albentis plumbi sit lubricus orbis,
Aut de Trallaeo facta patella luto.
Aut Archesilai crater, Turianaque signa,
470 Sympulaque in nostris terrea visa sacris.
Aut Puteolano surgat de pulvere trulla,
Duritiem a pelagi qui modo sumpsit aquis.
Quid memorem calices, quos mittunt Pergama nobis,
Et Surrentino labra recocta foco.
475 Aemulaque argenti suffixa toreumata Nili,
Parvaque de celebri cymbia lata Teo.
Quaeque tulit primum vix notis Bacchus ab Indis,
Pocula, non uno murrhina picta modo
His cedit Cononis opus, ceditque Lyconis,

Fastorum Liber Duodecimus

480

Herculis et cyathus, Neleidisque senis,
Coptica vasa procul gratum redolentia odorem,
Quaeque coquit nobis Solis amica Rhodos.

Fatidicusque Iphyclo scyppus, Regisque Seleuci,
Contectus gemmis, Cresibique loquax.

485

Plus auro et gemmis venduntur murrhina, constant,
Vix tanti gelidi regna remota soli.

Sed neque de terra solum preciosa parabis,
Vascula, cum notis dona caduca dabis.

Heroum effigies, et parvula signa Deorum,
490 Divite mandabis conspicenda luto.

Hic Satyrus decrescit, et hic minor alite, glauca
In niveo stabit Nympha videnda pede.

[272 sci. 275] Stabunt et pupae, puerique, in imagine tali,
Qualem, si saperet, vellet habere Cato.

495

Quaeque Sigillari prostant venalia vico,
Roma Sigillares dum colit alba dies.

Sed vos cum vestris mittetis munera amicis,
Sit quod in Augusti scrinia munus eat.

Si qua tabella citri, si quae sit cera sub auro,
500 Vel quam dissecatum dente recondat ebur.

Nobile vel signum, parvum licet, aere Corynthi,
Vel cyathus gemma versicolore micans.

Et quodcumque iuvat, dignumque est Caesare nostro,
Haec habeat Caesar munera, Caesar amet.

505

Quadrupla dona dabit, nempe hoc est Caesare dignum,

Reddere huic aurum, qui prior aera dedit.

Vos quoque, libertas quibus est concessa caduca,
Per septem luces quos toga picta decet.

Dicite, Tiberius nobis haec otia fecit,

510

Si servis istud, quid modo fiet heris.

Hic plus patre facit, quem servis pilea dantem,
Viderunt Calabri, Parthenopesque sinus.

Pars minima Orbis erat, per magni climata Mundi,
Libertas nobis omnibus una datur.

515

Scilicet iste pater Patriae, dominusque supremus,

Fastorum Liber Duodecimus

- Ad servos clemens respicit ipse suos.
Quos ubi respexit, vultus ad sydera tollens,
Ex humili ad summos fert sua vota Deos.
Quaque die dociles ad munia nostra redimus,
520 Ille ad Pontificis munia sancta reddit.
Alcidi, Cererique facit, sus victima praegnans,
Adduntur panes, mulsaque grata Diis.
Inde petens aedem, qua Diva Volupia iuncta est,
Angeriae, ambobus liba dat atque merum.
525 Nil mirum! angori mixta est quaecunque voluptas,
Nec nisi cum spinis crescit amoena rosa.
Quae Venus est Genitrix, etiam Libitina vocatur,
Toxica sub dulci melle recondit Amor.
[273 sci. 275] Altera forte etiam est et nominis huius origo,
530 Nempe quod angores tollat amica Dea.
Tollat et anginam, qua guttura nostra tumescunt,
Et claudit voci, spirituque viam.
Indice cur posito compescat labra? dolores
Corporis atque animi dissimulare iubet.
535 Quis scit? an aeternae Numen venerabile Romae,
Sit Dea, quae nomen vult reticere³¹ suum.
Ne quod nos facimus Romani nominis hosti,
Hostis agat, nostros evocet ille Deos.
Hostilii durate Lares, et moenibus hostem
540 Pellite, sub vestra est Roma superba manu.
Sic vobis cum lux lustrabit postera montem,
Tarpeium, detur flore corolla novo.
Sic vobis crebri fiant per compita ludi,
Supplicet et multis turba papaveribus.
545 Allia non desint, sit plurima matris imago,
Cerea, quae nostras pendeat ante fores,
Inque via sacra niteat sublime sacellum,
Quod Tatio socius Romulus ante dedit.
Quaeque per Antiochi bellum Regilius aedes,

³¹ retinere aliquot exx.

Fastorum Liber Duodecimus

- 550 Vovit, eae multâ cum prece sacra ferant.
Gratiâ Dis Italî, Oriens quoque funera sensit,
 Et timuit, Poenum quae domuere, manus.
Proximus hinc Phoebus nocturna fugaverit astra,
 Fient nutrici Romule sacra tuae.
- 555 Cara tibi fuerat, quae tractum Tybridis³² unda,
Praeposuit natis officiosa suis:
Uberaque admovit, cunisque, sinuque receptum,
 Crescentem parva texit amica casa.
Vicit maternum nutrix Laurentia amorem,
- 560 Cessit amor victus sed pietate tua.
Officiis in te certabat iuncta marito,
 Vicisti obsequiis mitis utrunque tuis.
Tu cum fratre tuo, quod Faustulus ipse iubebat,
 Fecisti, vobis ille magister erat.
- 565 [274 sci. 276] Ambo iussa viri stricte, nutusque loquaces,
Servastis, fratrum dum fuit aequus amor.
Verum ubi regnandi cepit damnanda libido,
 Fratrisque in iugulum ferreus ensis iit.
Faustulus in strictos mittens se incautior enses,
- 570 Immeritum vulnus, pro pietate tulit.
Et leve vulnus erat, sed amati funera Remi
 Auxerunt, duplii concidit ille malo.
Adstitit inferiis, cinerique hoc dixit alumni,
 Cras tecum, si me Numen amabit, ero.
- 575 Audiit hoc Numen quocunque in vota vocatum,
Post Remum Stygias ille petivit aquas.
Hos tamen ut cepit simul una navita cymba,
 Elysiae expectant, inquit, utrumque domus.
Hic eritis iuncti, et mixti felicibus umbris,
- 580 Sed stabunt vario vestra sepulchra loco.
Remus Aventini mutabit nomina montis,
 Remuliusque novo nomine collis erit.
Scilicet hunc totum fraternae Romulus umbrae

³² corr. pro Tyribus

Fastorum Liber Duodecimus

Sacrabit, cineres ponet et ille pios.

- 585 At tua testacea portabit Faustule in urna,
Ossa leo, in medio saxea busta Foro:
Qua lacerata Dei condentur membra Quirini,
Quae nulli fas sit membra videre viro.
Hoc factum est, cecinitque Caron tunc carmina vera,
590 Sed tacuit planctus flebilis Acca tuos.
Flevisti, tondensque manu pia pectora, crines,
Scidisti, et miseras ungue furente genas.
Vixque tibi geminae mortis solatia facta,
Tarucius coniux, innumerumque pecus.
595 Romulus hoc iussit: meritum Laurentiam alumnum
Supremis tabulis instituisse volunt.
Flevit, et ô pietas!³³ nutrici altaria struxit.
Et ferias illi, certaque sacra dedit!
Et tumulum statuit Tyberini ad fluminis undam,
600 Qua Velabrum iacent, et Nova facta via est.
[275 sci. 277] Hic Laurentalis Flamen de more parentat,
Hostiaque inferno tunc cadit icta Iovi.
Adsunt et Fratres Arvales, infula candens
Nectit, et e spicis facta corolla, comas.
605 Hoc natis bis sex fecit Laurentia munus,
De quorum numero Romulus ipse fuit.
Fulvius his olim feriis vitulasse triumphans
Dicitur, et Vitulae sacrificasse Deae
Aetolis domitis, Cephalenis sub iuga missis,
610 Paeana innumera plebe canente novum.
Cui post Solstitium, Brumamque, e thure vaporat,
Per triduum, quisquis sacra sacerdos agit.
Sol pater Aonidum, nascentis conditor anni,
Fac precor hic nobis laetus ut annus eat.
615 Utque tibi, foliisque tuis, aeterna iuventa est,
Nec tangunt laurum fulmina missa polo.
Perpetuum vigeat terris Romana iuventus,

³³ corr. pro ?

Fastorum Liber Duodecimus

- Atque hostis temnat spicula missa manu.
Tarpeiusque pater vicinae ad tempa Iuventae,
620 Pacatus, fulmen ponat et ipse suum.
Senserit hoc olim, Livio pugnante, superbus
 Asdrubal, et domitus nostra per arma Picens:
Sertoriusque ferox, et quinque hisce diebus,
 In nostras Aquilas impia signa tulit.
625 Iam belli satis est, placidi redeatis Amores,
 Et Venus, et puro Sole serena dies.
Quam bene collectos ad cursum Phoebe capillos
 Corrigis, et lassos verbere tollis equos.
Iste tuas Mundus leges praescriptaque iussa
630 Servat, et a nutu stant Elementa tuo.
Purpurei tu Veris opes, tu messis aristas
 Das bonus, et plenis vina Falerna cadis.
Dum mihi sola manent gelidae fastidia Brumae,
 Nil Scythiae tellus unde tepescat habet.
635 Hic sylvae aeternis strident Aquilonis ab auris,
 Vix Aestas fixas frigore solvit aquas.
[276 sci. 278] Cumque ego sim tecum per bis sex signa vagatus,
 Aeternum bis sex signa dedere gelu.
Nil festi Fasti, nil floris Ver dedit usquam,
640 Nulla mihi Bacchus munera, nulla Ceres.
Defessus cursu, et longarum errore viarum,
 Sisto gradum, vivat, quod bene finit, opus.
Aut si non vivat, saltem Germanice vivas,
 Et Romana tuo cum patre sceptrta geras:
645 Grandaevumque senex videas, serique nepotes
 Caesareae videant nobilitatis avos:
Perque vias currant vestras, Fastosque, Polumque,
 Et totas terras occupet una domus.